Dialogi (Latin)

Sulpicius Severus (c. AD 363–425)

SermonIndex.net / Church Fathers

Dialog 1: Svlpicii Severi Dialogvs Primvs

Cum in unum locum ego et Gallus conuenissemus, uir mihi et propter Martini memoriam — ex illius enim discipulis erat — et propter sua merita carissimus, interuenit nobis Postumianus meus, nostri causa ab Oriente, quo se ante triennium patriam relinquens contulerat, regressus.

conplexi hominem amantissimum exosculatique genua et pedes eius, cum uno adque altero spatio quasi obstupefacti, inuicem flentes prae gaudio, deambulassemus, expansis in terram ciliciis consedimus.

tum prior Postumianus me intuens ait: cum essem in remotis Aegypti locis, libuit ad mare usque procedere. nauem ibi onerariam inueni, quae cum mercibus Narbonam petens soluere parabat. eadem nocte mihi in somnis adstare uisus es et iniecta me manu trahere, ut nauem illam conscenderem. mox tenebras rumpente diluculo, cum eo loco, in quo quieueram, surrexissem, somnium meum ipse mecum reputans tanto tui desiderio subito correptus sum, ut nihil cunctatus nauem conscenderem. tricensimo die Massiliam adpulsus, inde huc decimo perueni: adeo prospera nauigatio piae adfuit uoluntati. tu modo, propter quem tot maria transnauigauimus, tantum terrae transcucurrimus, conplectendum fruendumque te remotis omnibus trade.

Ego uero, inquam, etiam cum tu in Aegypto morareris, totus tecum semper animo et cogitatione uersabar, meque de te dies ac noctes cogitantem totum tua caritas possidebat, nedum modo me tibi aestimes puncto temporis defuturum, quominus ab ore tuo pendens te intuear, te audiam, tecum loquar, nullo penitus in secretum nostrum, quod nobis haec remotior cellula praestat, admisso. nam huius nostri, ut arbitror, Galli praesentiam non moleste feres, qui hoc aduentu tuo, ut uides, perinde adque ego triumphat gaudio. Recte plane, inquit Postumianus, in societate nostra Gallus iste retinebitur :

qui etsi mihi parum cognitus est, pro eo tamen, quod tibi est carissimus, non potest mihi non esse carus, maxime cum ex Martini sit disciplina. neque grauabor quamlibet conserte uobiscum, ut poscitis, fabulari, quippe cum propter hoc uenerim, ut me huius Sulpicii mei — me autem utraque manu conplectebatur — desiderio etiam uerbosus inpenderem.

Enimuero, inquam, satis probasti, quantum pius amor possit, qui nostri causa tot maria tantumque terrarum emensus a summo, ut ita dicam, solis egressu usque in eius occidua uenisti.

age ergo, quia et secreti inter nos nec occupati sumus et sermoni tuo uacare debemus, edisseras nobis uelim omnem tuae peregrinationis historiam, qualiter in Oriente fides Christi floreat , quae sit sanctorum quies, quae instituta monachorum, quantisque signis ac uirtutibus in semis suis Christus operetur. nam certe, quia in his regionibus inter ista quae uiuimus ipsa nobis uita fastidio est, libenter ex te audiemus, si uel in eremo uiuere Christianis licet. Ad haec Postumianus, faciam, inquit, ut desiderare te uideo.

sed quaeso prius ex te audiam, an isti omnes, quos hic reliqueram sacerdotes, tales sint, quales eos antequam proficiscerer noueramus.

Tum ego, absiste, inquam, ista quaerere, quae aut una mecum [ut puto] nosti, aut si ignoras, non audire sit melius. illud reticere non possum, non solum illos, de quibus interrogas, nihilo meliores quam noueras factos, sed unum illum nostri quondam amantem, in quo respirare ab istorum insectationibus solebamus, asperiorem nobis fuisse quam debuit. nec uero quidquam in illum inclementius dicam, quia et amicum colui et tunc etiam amaui, cum putabatur inimicus.

me autem haec tacitis cogitationibus reuoluentem admodum dolor iste conpugit, paene nos sapientis et religiosi uiri amicitia destitutos. uerum haec, quae maeroris plena sunt, relinquamus: te potius, ut dudum spoponderas, audiamus. Ita, inquit, fiat, Postumianus.

quod cum dixisset, paululum omnes conticuimus: dein cilicium, cui insederat, ad me propius admouit adque ita exorsus est.

Ante hoc triennium, quo tempore tibi, Sulpici, hinc abiens ualedixi, ubi Narbone nauem soluimus, quinto die portum Africae intrauimus: adeo prospera Dei nutu nauigatio fuit.

libuit animo adire Carthaginem, loca uisitare sanctorum et praecipue ad sepulchrum Cypriani martyris adorare. quinto decimo die ad portum regressi prouectique in altum, Alexandriam petentes, reluctante austro paene in Syrten inlati sumus: quod prouidi nautae cauentes iactis nauem anchoris sistunt.

sub oculis autem terra continens erat, in quam scaphis egressi cum uacua humano cultu omnia cerneremus, ego studiosius explorandorum locorum gratia longius processi. tribus fere a litore milibus paruum tugurium inter harenas conspicio, cuius tectum, sicut Salustius ait, quasi carina nauis erat, contiguum terrae, satis firmis tabulatis constratum, non quod ibi uis imbrium ulla timeatur

— fuisse autem illic pluuiam, ne quando quidem auditum est —, sed quod uentorum ea uis est, ut si quando uel clementiore caelo aliquantulus spirare flatus coeperit, maius in illis terris quam in ullo mari naufragium sit. nulla ibi germina, sata nulla proueniunt, quippe instabili loco arentibus harenis ad omnem motum uentorum cedentibus.

uerum ubi auersa quaedam a mari promuntoria uentis resistunt, terra aliquantulum solidior herbam raram adque hispidam gignit: ea ouibus pabulum est satis utile. incolae lacte uiuunt: qui autem sollertiores sunt uel, ut ita dixerim, ditiores, hordeacio pane utuntur. ea ibi sola messis est, quae celeritate prouentus per naturam soli saeuientium uentorum casus euadere solet:

quippe fertur a die iacti seminis tricensimo die maturescere. consistere autem ibi homines non alia ratio facit, quam quod omnes a tributo liberi sunt. extrema siquidem Cyrenorum ora est, deserto illi contigua, quod inter Aegyptum et Africam interiacet, per quod olim Cato Caesarem fugiens duxit exercitum.

Ergo ad tugurium illud, quod eminus conspexeram, pertendi: ibi inuenio senem in ueste pellicia. molam manu uertentem. consalutatos accepit nos benigne.

eiectos nos in illud litus exponimus, et ne statim repetere cursum possimus, maris mollitie detineri: egressos in terram, ut sit mos humani Ingenii, naturam locorum cultumque habitantium uoluisse cognoscere: Christianos nos esse: id praecipue quaerere, an essent aliqui inter illas solitudines Christiani.

tum uero ille flens prae gaudio ad genua nostra prouoluitur: iterum nos ac saepius exosculatus inuitat ad orationem: deinde expositis in terra ueruecum pellibus facit nos discumbere.

adponit prandium sane locupletissimum, dimidium panem hordeacium. eramus autem nos quattuor, ipse erat quintus. fasciculum etiam herbae intulit, cuius nomen excidit, quae menthae similis, exuberans foliis, saporem mellis praestabat: huius praedulci admodum suauitate delectati adque exsatiati sumus: ad haec subridens ego ad Gallum meum:

quid, inquam, Galle, placetne prandium fasciculus herbarum et panis dimidius uiris quinque? tum ille, sicut est uerecundissimus, aliquantulum erubescens, dum fatigationem meam accipit:

facis, inquit, Sul pici, tuo more, qui nullam occasionem, si qua tibi porrecta fuerit, omittis quin nos edacitatis fatiges. sed facis inhumane, qui nos Gallos homines cogis exemplo angelorum uiuere: quamquam ego studio manducandi etiam angelos manducare credam: nam istud dimidium hordeacium timeo uel solus adtingere.

sed contentus sit hoc Cyrenensis ille, cui uel necessitas uel natura est esurire, uel postremum isti, quibus, credo, marina iactatio inediam cibi fecerat: nos procul a mari absumus, et quod tibi saepe testatus sum, Galli sumus. sed pergat hic potius explicare sui Cyrenensis historiam.

Enimuero, Postumianus [ait], cauebo posthac cuiusquam abstinentiam praedicare., ne Gallos nostros arduum penitus offendat exemplum.

statueram autem etiam cenam Cyrenensis illius uel consequentia — septem enim diebus apud ipsum fuimus — referre conuiuia: sed supersedendum est, ne se Gallus aestimet fatigari.

ceterum postero die, cum aliqui ex incolis ad nos [uisendos] confluere coepissent, cognoscimus illum hospitem nostrum esse presbyterum, quod summa nos dissimulatione celauerat.

deinde cum ipso ad ecclesiam processimus, quae fere duobus milibus aberat, a conspectu nostro interiectu montis exclusa. erat autem uilibus texta uirgultis, non multo ambitiosior quam nostri hospitis tabernaculum, in quo nisi incuruus non poterat consistere.

cum hominum mores quaereremus, illud praeclarum aduertimus, nihil eos neque emere neque uendere. quid sit fraus aut furtum nesciunt. aurum uero adque argentum, quae prima mortales putant esse, neque habent neque habere cupiunt.

nam cum ego presbytero illi decem nummos aureos obtulissem, refugit, altiore consilio protestatus, ecclesiam auro non instrui, sed potius destrui. aliquantulum ei uestimentorum indulsimus.

Quod cum ille benigne accepisset, reuocantibus ad mare nautis discessimus, prosperoque cursu septimo die Alexandriam peruenimus, ubi foeda inter episcopos adque monachos certamina gerebantur ex ea occasione uel causa, quia congregati in unum saepius sacerdotes frequentibus decreuisse synodis uidebantur, ne quis Origenis libros legeret aut haberet, qui tractator scripturarum sacrarum peritissimus habebatur.

sed episcopi quaedam in libris illius insanius scripta memorabant, quae adsertores eius defendere non ausi ab haereticis potius fraudulenter inserta dicebant: et ideo non propter illa, quae in reprehensionem merito uocarentur, etiam reliqua esse damnanda, cum legentium fides facile possit habere discrimen, ne falsata sequerentur et tamen catholice disputata retinerent. non esse autem mirum, si in libris neotericis et recens scriptis fraus haeretica fuisset operata, quae in quibusdam locis non timuisset inpetere euangelicam ueritatem.

aduersum haec episcopi obstinatius renitentes pro potestate cogebant recta etiam uniuersa cum prauis et cum ipso auctore damnari, quia satis superque sufficerent libri, quos ecclesia recepisset: respuendam esse penitus lectionem, quae plus esset nocitura insipientibus quam profutura sapientibus.

mihi autem ex illis libris quaedam curiosius indaganti admodum multa placuerunt, sed nonnulla deprehendi, in quibus illum praua sensisse non dubium est, quae defensores eius falsata contendunt.

ego miror unum eundemque hominem tam diuersum a se esse po. tuisse, ut in ea parte, qua probatur, neminem post Apostolos habeat aequalem, in ea uero, qua iure reprehenditur, nemo deformius doceatur errasse.

nam cum ab episcopis excepta in libris illius multa legerentur, quae contra catholicam fidem scripta constaret, locus ille uel maxime parabat inuidiam, in quo editum legebatur, quia Dominus Iesus, sicut pro redemptione hominis in carne uenisset et crucem pro hominis salute perpessus mortem pro hominis aeternitate gustasset, ita esset eodem ordine passionis etiam diabolum redempturus: quia hoc bonitati illius pietatique congrueret, ut, qui perditum hominem reformasset, prolapsum quoque angelum liberaret.

cum haec adque alia istius modi ab episcopis proderentur, ex studiis partium orta seditio: quae cum reprimi sacerdotum auctoritate non posset, scaeuo exemplo ad regendam ecelesiae disciplinam praefectus adsumitur, cuius terrore dispersi fratres ac per diuersas oras monachi sunt fugati, ita ut propositis edictis in nulla consistere sede sinerentur.

illud me admodum permouebat, quod Hieronymus, uir maxime catholicus et sacrae legis peritissimus, Origenem secutus primo tempore putabatur, qui nunc idem praecipue uel omnia illius scripta damnaret. nec uero ausim de quoquam [temere] iudicare, praestantissimi tamen [uiri] et doctissimi ferebantur in hoc certamine dissidere.

sed tamen siue ille error est, ut ego sentio, siue haeresis, ut putatur, non solum reprimi non potuit multis animaduersionibus sacerdotum, sed nequaquam tam late se potuisset effundere, nisi contentione creuisset.

istius modi ergo turbatione, cum ueni Alexandriam, fluctuabat. me quidem episcopus illius ciuitatis benigne admodum et melius, quam opinabar, excepit et secum tenere temptauit, sed non fuit animus ibi consistere, ubi recens fraternae cladis feruebat inuidia.

nam etsi fortasse uideantur parere episcopis debuisse, non ob hanc tamen causam multitudinem tantam sub Christi confessione uiuentem, praesertim ab episcopis, oportuisset adfligi.

Igitur inde digressus Bethleem oppidum petii, quod ab Hierosolymis sex milibus separatur, ab Alexandria autem sedecim mansionibus abest.

ecclesiam loci illius Hieronymus presbyter regit: nam paroechia est episcopi, qui Hierosolymam tenet. mihi iam pridem Hieronymus superiore illa mea peregrinatione conpertus facile obtinuerat, ut nullum mihi expetendum rectius arbitrarer.

uir enim praeter fidei meritum dotemque uirtutum non solum Latinis adque Graecis, sed et Hebraeis litteris ita institutus est, ut se illi in omni scientia nemo audeat conparare. miror autem, si non et uobis per multa quae scripsit opera conpertus est, cum per totum orbem legatur.

Nobis uero, Gallus inquit, nimium nimiumque conpertus est. nam ante hoc quinquennium quendam illius libellum legi, in quo tota nostrorum natio monachorum ab eo uehementissime uexatur et carpitur. unde interdum

Belgicus noster ualde irasci solet, quod dixerit, nos usque ad uomitum solere satiari. ego autem illi uiro ignosco, adque ita sentio, de orientalibus illum potius monachis quam de occidentalibus disputasse. nam edacitas in Graecis gula est, in Gallis natura.

Tum ego, scolastice, inquam, Galle, defendis gentem tuam: sed quaeso te, liber iste numquid hoc solum uitium damnat in monachis? Immo uero, inquit, nihil penitus omisit, quod non carperet, laceraret, exponeret: praecipue auaritiam nec minus uanitatem insectatus est. multa de superbia, non pauca de superstitione disseruit: uere fatebor, pinxisse mihi uidetur uitia multorum.

Ceterum de familiaritatibus uirginum et monachorum adque etiam clericorum quam uera, quam fortia disputauit! unde a quibusdam, quos nominare nolo, dicitur non amari.

nam sicut Belgicus noster irascitur, edacitatis nimiae nos notatos, ita illi fremere dicuntur, cum in illo opusculo scriptum legunt: caelibem spernit uirgo germanum, fratrem quaerit extraneum.

Ad haec ego, nimium, inquam, Galle, progrederis: caue ne et te aliquis, qui haec agnoscat, exaudiat teque una cum Hieronymo incipiat non amare. nam quia scolasticus es, non inmerito te uersu comici illius admonebo: obsequium amicos, ueritas odium parit.

tua nobis potius, ut coeperas, Postumiane, repetatur orientalis oratio. Ego, inquit, ut dicere institueram, apud Hieronymum sex mensibus fui: cui iugis aduersum malos pugna perpetuumque certamen conciuit odia perditorum. oderunt eum haeretici, quia eos inpugnare non desinit, oderunt eum clerici, quia uitam eorum insectatur et crimina:

sed plane eum boni omnes admirantur et diligunt: nam qui eum haereticum esse arbitrantur, insani sunt. uere dixerim, catholica hominis scientia, sana doctrina: totus semper in lectione, totus in libris est: non die neque nocte requiescit: aut legit aliquid semper aut scribit. quod nisi mihi fuisset fixum animo et promissum Deo, ante propositam eremum adire, uel exiguum temporis punctum a tanto uiro discedere noluissem.

huic ergo traditis adque commissis omnibus meis omnique familia, quae me contra uoluntatem animi mei secuta tenebat inplicitum, exoneratus quodammodo graui fasce penitus ac liber, regressus ad Alexandriam, uisitatis ibi fratribus ad superiorem inde Thebaidem, id est ad Aegypti extrema contendi.

ibi enim uaste patentes eremi solitudines plurimum ferebantur habere monachorum. longum est, si omnia cupiam referre quae uidi: pauca perstringam.

Haut longe ab eremo contigua Nilo multa sunt monasteria. habitant uno loco plerumque centeni: quibus summum ius est, abbatis imperio uiuere, nihil suo arbitrio agere, per omnia ad nutum illius potestatemque pendere. ex his si qui maiorem uirtutem mente conceperint, ut acturi solitariam uitam se ad eremum conferant, nonnisi permittente abbate discedunt. haec illorum prima uirtus est, parere alieno imperio.

transgressis ad eremum abbatis illius ordinatione panis uel quilibet cibus alius ministratur. casu per illos dies quibus illo adueneram cuidam, qui nuper ad eremum secesserat neque amplius ab hoc monasterio quam sex milibus tabernaculum sibi constituerat, panem abbas per duos pueros miserat, quorum maior habebat aetatis annos quindecim, minor duodecim erat.

his ergo inde redeuntibus aspis mirae magnitudinis fit obuiam, cuius occursu nihil perterriti, ubi ante pedes eorum uenit, quasi incantata carminibus caerula colla deposuit. minor e pueris manu adprehensam ac pallio inuolutam ferre coepit. dein monasterium quasi uictor ingressus in occursum fratrum, inspectantibus cunctis, captiuam bestiam resoluto pallio non sine iactantiae tumore deposuit.

sed cum infantium fidem adque uirtutem ceteri praedicarent, abbas ille altiore consilio, ne infirma aetas insolesceret, uirgis.utrumque conpescuit, multum obiurgatos, cur ipsi, quod per eos Dominus operatus fuerat, prodidissent. opus illud non suae fidei, sed diuinae fuisse uirtutis: discerent potius Deo in humilitate seruire, non in signis et uirtutibus gloriari, quia melior esset infirmitatis conscientia uirtutum uanitate.

Hoc ubi ille monachus audiuit, et periclitatos infantulos serpentis occursu et ipsos insuper multa uerbera uicto serpente meruisse, abbatem obsecrat ne sibi post haec panis ullus aut cibus aliqui mitteretur.

iamque octauus dies fuerat emensus, quo se homo Christi intra periculum famis ipse concluserat - arebant membra ieiunio, sed deficere mens caelo intenta non poterat:

corpus inedia fatiscebat, fides firma durabat-cmn interim admonitus abbas ille per spiritum ut discipulum uisitaret, pia sollicitudine cognoscere cupiens, qua uitae substantia fidelis aleretur, qui ministrari sibi panem ab homine noluisset, ad requirendum eum ipse proficiscitur.

ille ubi eminus senem uenire conspexit, occurrit, agit gratias, ducit ad cellulam. cum ingressi pariter ambo, conspiciunt palmiciam sportam, calido pane congestam, foribus adfixam ante postem pendere.

ac primum calidi panis odor sentitur, tactu uero ac si ante paululum focis esset ereptus, ostenditur: Aegyptii tamen panis forma non cernitur.

obstupefacti ambo munus caeleste cognoscunt. cum ille hoc abbatis aduentui praestitum fateretur, abbas uero illius fidei ac uirtuti id potius adscriberet: ita ambo caelestem panem cum multa exultatione fregerunt.

quod cum senex ad monasterium post regressus fratribus rettulisset, tantus omnes incesserat ardor animorum, ut certatim ad eremum et sacras solitudines ire properarent, miseros se fatentes, si qui diutius in congregatione multorum, ubi humana esset patienda conuersatio, resedissent.

In hoc monasterio duos ego senes uidi, qui iam per quadraginta annos ibi degere, ita ut numquam inde discesserint, ferebantur. quorum praetereunda mihi commemoratio non uidetur, siquidem id de eorum uirtutibus et abbatis ipsius testimonio et omnium fratrum audierim sermone celebrari, quod unum eorum sol numquam uidisset epulantem, alterum numquam uidisset iratum.

Ad haec Gallus me intuens: o si uester ille — nolo nomen dicere - nunc adesset, uellem admodum istud audiret exemplum, quem in multorum saepe personis nimium experti sumus uehementer irasci: sed tamen, quia inimicis suis, quantum audio, nuper ignouit, si istud audiret, magis magisque proposito confirmaretur exemplo, praeclaram esse uirtutem iracundia non moueri.

nec uero infitiabor iustas illi causas irarum fuisse: sed ubi durior pugna, ibi gloriosior est corona. unde quendam, si agnoscis, censeo iure laudandum, quod cum eum libertus deseruerit ingratus, miseratus est potius quam insectatus abeuntem. sed neque illi irascitur, a quo uidetur abductus.

Ego autem: nisi istud uincendae iracundiae Postumianus prodidisset exemplum, grauiter irascerer discessione fugitiui: sed quia irasci. non licet, tota istorum commemoratio, quae nos conpungit, abolenda est.

te, inquam, Postumiane, te potius audiamus. Faciam, inquit, Sulpici, quod praecipis, quatenus tam studiosos esse audiendi uos uideo. sed mementote, quia non sine faenore istum apud uos depono sermonem: libens praesto quod poscitis, dummodo paulo post quod poposcero non negetis.

Nos uero, inquam, nihil habemus, in quo tibi mutuum uel sine faenore restituere possimus.. sed tamen quidquid putaueris, imperato, dummodo, ut coeperas, desideriis nostris satisfacias: ualde enim nos delectat tua oratio.

Nihil, inquit Postumianus, uestra studia fraudabo: et quia eremitae unius agnouistis uirtutem, referam adhuc uobis pauca de plurimis.

Ergo ubi prima eremi ingressus sum, duodecim fere a Nilo milibus - habebam autem unum ex fratribus ducem locorum peritum — peruenimus ad quendam senem monachum sub radice montis habitantem. ibi, quod in illis locis rarissimum est, puteus erat.

bouem unum habebat, cuius hic erat totus labor, impulsa rotali machina aquam producere: nam fere mille aut amplius pedum profundum putei ferebatur. hortus illic erat multis Tioleribus copiosus, id quidem contra naturam eremi, ubi omnia arentia, exusta solis ardoribus, nullius umquam seminis uel exiguam radicem ferunt.

uerum hoc sancto illi labor cum pecore communis et propria praestabat industria: frequens enim inrigatio aquarum tantam pinguedinem harenis dabat, ut mirum in modum uirere adque fructificare horti illius holera uiderimus.

ex iis igitur una cum domino bos ille uiuebat: nobis quoque ex ea copia cenam sanctus dedit. ibi uidi, quod uos Galli forte non creditis, ollam cum holeribus, quae nobis in cenam praeparabantur, sine igne feruere: tanta uis solis est, ut quibuslibet coquis etiam ad Gallorum pulmenta sufficiat.

post cenam autem iam inclinante uespera inuitat nos ad arborem palmam, cuius interdum pomis uti solebat, quae fere duobus milibus aberat.

nam hae tantum in eremo arbores, licet raro, habentur tamen. quod utrum sollers antiquitas procurauerit, an soli natura gignat, ignoro, nisi Deus praescius habitandam quandoque a sanctis eremum haec seruis suis parauerit.

ex maiore enim parte, qui intra illa secreta consistunt, cum alia ibi germina nulla succedant, istarum arborum pomis aluntur. ergo ubi ad illam, ad quam nos humanitas nostri hospitis ducebat, arborem peruenimus, leonem ibi offendimus: quo uiso ego et ille dux meus intremuimus, sanctus uero ille incunctanter accessit: nos licet trepidi secuti sumus.

fera paululum — cerneres imperatam a Deo — modesta secessit et constitit, dum ille attigua ramis humilioribus poma decerperet. cumque plenam palmulis manum obtulisset, adcurrit bestia accepitque tam libere quam nullum animal domesticum, et cum comedisset, abscessit. nos haec intuentes et adhuc trementes facile potuimus expendere, quanta in illo fidei uirtus et quanta in nobis esset infirmitas.

Alium aeque singularem uirum uidimus, paruo tugurio, in quo non nisi unus recipi posset, habitantem. de hoc illud ferebatur, quod ei lupa solita esset adstare cenanti, nec facile umquam bestia falleretur, quin illi ad legitimam horam refectionis occurreret et tam diu pro foribus expectaret, donec ille panem, qui cenulae superfuisset, offerret: illam manum eius lambere solitam, adque ita quasi inpleto officio et praestita consalutatione discedere.

sed forte accidit, ut sanctus ille, dum fratrem, qui ad eum uenerat, deducit abeuntem, diutius abesset et nonnisi sub nocte remearet. interim bestia ad consuetudinarium illud cenae tempus occurrit. uacuam cellulam, cum familiarem patronum abesse sentiret, ingressa, curiosius explorans ubinam esset habitator. casu contigua cum panibus quinque palmicia fiscella pendebat.

ex his unum praesumens deuorat, dein perpetrato scelere discedit. regressus eremita uidet sportulam dissolutam, non constantem panum numerum: damnum rei familiaris intellegit ac prope limen panis absumpti fragmenta cognoscit.

sed non erat incerta suspicio, quae furtum persona fecisset. ergo cum sequentibus diebus secundum consuetudinem bestia non ueniret nimirum audacis facti conscia ad eum uenire dissimulans, cui fecisset iniuriam —, aegre patiebatur eremita se alumnae solacio destitutum.

postremo illius oratione reuocata septimum post diem adfuit, ut solebat ante, cenanti. sed, ut facile cerneres uerecundiam paenitentis, non ausa propius accedere, deiectis in terram

profundo pudore luminibus, quod palam licebat intellegi, quandam ueniam precabatur: quam illius confusionem eremita miseratus iubet eam propius accedere ac manu blanda caput triste permulcet: dein pane duplicato ream suam reficit.

ita indulgentiam consecuta officii consuetudinem deposito maerore reparauit. intuemini, quaeso, Christi etiam in hac parte uirtutem, cui sapit omne quod brutum est, cui mite est omne quod saeuit.

lupa praestat officium, lupa furti crimen agnoscit, lupa conscio pudore confunditur: uocata adest, caput praebet et habet sensum indultae sibi ueniae, sicut pudorem gessit errati:

tua haec uirtus, Christe, tua sunt haec, Christe, miracula. etenim quae in tuo nomine operantur serui tui, tua sunt, et in hoc ingemescimus, quod maiestatem tuam ferae sentiunt, homines non uerentur.

Ne cui autem hoc incredibile forte uideatur, maiora memorabo. fides Christi adest me nihil fingere, neque incertis auctoribus uulgata narrabo, sed quae mihi per fideles uiros conperta sunt, explicabo.

habitant plerique in eremo sine ullis tabernaculis, quos anachoretas uocant. uiuunt herbarum radicibus: nullo umquam certo loco consistunt, ne ab hominibus uisitentur frequenter: quas nox coegerit, sedes habent.

ad quendam igitur hoc ritu adque hac lege uiuentem duo ex Nitria monachi, licet longe diuersa regione, tamen quia olim ipsis in monasterii conuersatione carus et familiaris fuisset, auditis eius uirtutibus, tetenderunt: quem diu multumque quaesitum tandem mense septimo reppererunt in extremo illo deserto, quod est Memphis contiguum, demorantem: quas ille solitudines iam per annos duodecim dicebatur habitare. qui licet omnium hominum uitaret occursum, tamen agnitos non refugit seque carissimis per triduum non negauit.

quarto die aliquantulum progressus cum prosequeretur abeuntes, leaenam mirae magnitudinis ad se uenire conspiciunt. bestia licet tribus repertis, non incerta quem peteret, anachoretae pedibus aduoluitur et cum fletu quodam ac lamentatione procumbens indicabat gementis pariter et rogantis affectum. mouet omnes et praecipue illum, qui se intellexerat expetitum: praecedentem sequuntur. nam subinde restitans, subinde respectans facile poterat intellegi id eam uelle, ut quo illa ducebat, anachoreta sequeretur. quid multis?

ad speluncam bestiae peruenitur, ubi illa adultos iam quinque catulos male feta nutriebat, qui ut clausis luminibus ex aluo matris exierant, caecitate perpetua tenebantur. quos singulos de rupe prolatos ante anachoretae pedes mater exposuit.

tum demum sanctus aduertit quid bestia postularet, inuocatoque Dei nomine contrectauit manu lumina clausa catulorum: ac statim caecitate depulsa apertis oculis bestiarum diu negata lux patuit. ita fratres illi, anachoreta quem desiderabant uisitato, cum admodum fructuosa laboris sui mercede redierunt, qui in testimonium tantae uirtutis admissi fidem sancti, gloriam Christi, quae per ipsos esset testificanda, uidissent.

mira dicturus sum, leaenam post dies quinque ad auctorem tanti beneficii reuertisse eidemque inusitatae ferae pellem pro munere detulisse: qua plerumque sanctus ille quasi amiculo circumtectus non dedignatus est munus per bestiam sumere, cuius alium potius interpretabatur auctorem.

Erat etiam alterius anachoretae in illis regionibus nomen inlustre, qui in ea parte deserti, quae est Syenis, habitabat. hic cum primum se ad eremum contulisset, herbarum radicibus, quas praedulcis interdum et saporis eximii fert harena, uicturus, ignarus germinis eligendi nociua plerumque carpebat. nec erat facile uim radicum sapore discernere, quia omnia aeque dulcia erant, sed pleraque occultiore natura uirus letale cohibebant.

cum ergo edentem uis interna torqueret et inmensis doloribus uitalia uniuersa quaterentur ac frequens uomitus cruciatibus non ferendis ipsam animae sedem stomacho iam fatiscente dissolueret, omnia penitus quae sunt edenda formidans septimum ieiunus diem spiritu deficiente ducebat, cum ad eum fera, cui ibicis est nomen, accessit.

huic propius adstanti fasciculum herbarum, quem collectum pridie adtingere non audebat, obiecit: sed bestia quae uirulenta erant ore discutiens, quae innoxia nouerat eligebat. ita uir sanctus eius exemplo quid edere, quid respuere deberet edoctus, et periculum famis euasit et herbarum uenena uitauit.

sed longum est, de omnibus, qui eremum incolunt, conperta nobis uel audita memorare. annum integrum et septem fere menses intra solitudinem constitutus exegi, magis uirtutis admirator alienae, quam quod ipse tam arduum adque difficile potuerim temptare propositum: saepius tamen cum sene illo, qui puteum et bouem habebat, habitaui.

Duo beati Antoni monasteria adii, quae hodieque ab eius discipulis incoluntur. ad eum etiam locum, in quo beatissimus Paulus primus eremita est diuersatus, accessi.

rubrum mare uidi, iugum Sina montis, cuius cacumen caelo paene contiguum est et nequaquam adiri potest.

inter eius recessus anachoreta esse aliqui ferebatur, quem diu multumque quaesitum uidere non potui, qui fere iam ante quinquaginta annos a conuersatione humana remotus nullo uestis usu, saetis corporis sui tectus, nuditatem suam diuino munere nesciebat.

hic quotiens eum religiosi uiri adire uoluerunt, cursu auia petens occursum uitabat humanum. uni tantummodo ferebatur se ante quinquennium praebuisse, qui credo potenti fide id obtinere promeruit : cui inter multa conloquia percontanti, cur homines tantopere uitaret, respondisse perhi-

betur, eum, qui ab hominibus frequentaretur, non posse ab angelis frequentari. unde non inmerito recepta opinione multorum fama uulgauerat, sanctum illum ab angelis uisitari.

ego autem a Sina monte digressus ad Nilum flumen regressus, cuius ripas frequentibus monasteriis consertas utraque ex parte lustraui. plerumque uidi, ut dudum dixeram, uno in loco habitare centenos, sed et bina et terna milia in isdem uiculis agere constabat.

nec sane ibi minorem putetis diuersantium in multitudine monachorum esse uirtutem, quam eorum esse cognouistis, qui se ab humanis coetibus remouerunt.

praecipua, ut iam dixeram, ibi uirtus et prima est oboedientia: neque aliter adueniens a monasterii abbate suscipitur, quam qui temptatus prius fuerit et probatus, nullum umquam recusaturus quamlibet arduum ac difficile indignumque toleratu abbatis imperium.

Duo uobis referam incredibilis oboedientiae admodum magna miracula, licet suppetant plura recolenti: sed ad incitandam uirtutum aemulationem, cui pauca non sufficiunt, multa non proderunt.

ergo cum quidam saeculi actibus abdicatis monasterium magnae dispositionis ingressus suscipi se rogaret, abbas ei coepit multa proponere: graues esse istius disciplinae labores, sua uero dura imperia, quae nullius facile ualeret inplere patientia: aliud potius monasterium, ubi facilioribus legibus uiueretur, expeteret: non temptaret adgredi, quod inplere non posset.

ille uero nihil his terroribus permoueri, sed magis ita omnem oboedientiam polliceri, ut, si eum abbas in ignem ire praeciperet, non recusaret intrare. quam illius professionem ubi magister accepit, non cunctatus probare profitentem.

casu clibanus propter ardebat, qui multo igne succensus coquendis panibus parabatur: exundabat abruptis flamma fornacibus, et intra camini illius concaua totis habenis regnabat incendium. hic aduenam illum iubet magister intrare, nec distulit parere praecepto: medias flammas nihil cunctatus ingreditur, quae mox tam audaci fide uictae uelut illis quondam Hebraeis pueris cessere uenienti. superata natura est, fugit incendium:

et qui putabatur arsurus, uelut frigido rore perfusus se ipse miratus est.

sed quid mirum, si tuum, Christe, tironem ignis ille non adtigit? ut nec abbatem pigeret dura mandasse nec discipulum paeniteret imperio paruisse: qui eo quo aduenerat die, dum temptaretur infirmus, perfectus inuentus est: merito felix, merito gloriosus, probatus oboedientia, glorificatus est passione.

In eodem autem monasterio factum id, quod dicturus sum, recenti memoria ferebatur. quidam itidem ad eundem abbatem recipiendus aduenerat. cum prima ei lex oboedientiae poneretur ac perpetem polliceretur ad omnia uel extrema patientiam, casu abbas storacinam uirgam iam pridem aridam manu gerebat.

hanc solo figit adque illi aduenae id operis inponit, ut tamdiu uirgulae aquam inriguam ministraret, donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in solo arente uiresceret.

subiectus aduena durae legis imperio aquam propriis umeris cotidie, conuehebat, quae a Nilo flumine per duo fere milia petebatur. iamque emenso anni spatio labor non cessabat operantis, et de fructu operis spes esse non poterat: tamen oboedientiae uirtus in labore durabat. sequens quoque annus uanum laborem iam affecti fratris eludit.

tertio demum succedentium temporum labente curriculo, cum neque noctu neque interdiu aquarius ille cessaret operator, uirga floruit.

ego ipsam ex illa uirgula arbusculam uidi, quae hodieque in atrio monasterii ramis uirentibus quasi in testimonium manens, quantum oboedientia meruerit et quantum fides possit, ostendit.

sed me dies ante deficiet, quam diuersa miracula, quae mihi de sanctorum uirtutibus sunt conperta, consummem.

Duo uobis adhuc praeclara memorabo: quorum unum egregium erit aduersus inflationem miserae uanitatis exemplum, alterum aduersus falsam iustitiam non mediocre documentum.

quidam ergo sanctus, fugandorum de corporibus obsessis daemonum incredibili praeditus potestate, inaudita per singulos dies signa faciebat. non solum enim praesens, neque uerbo tantum, sed absens quoque interdum cilicii sui fimbriis aut epistulis missis corpora obsessa curabat. hic ergo mirum in modum frequentabatur a populis ex toto ad eum orbe uenientibus.

taceo de minoribus: praefecti comitesque ac diuersarum iudices potestatum pro foribus illius saepe iacuerunt. episcopi quoque sanctissimi, sacerdotali auctoritate deposita, contingi se ab eo adque benedici humiliter postulantes, sanctificatos se ac diuino munere inlustratos, quotiens manum illius uestemque contigerant, non inmerito crediderunt.

hic ferebatur omni potu in perpetuum penitus abstinere ac pro cibo - tibi, Sulpici, in aurem loquar, ne Gallus hoc audiat — sex tantum caricis sustentari.

interea sancto uiro ut ex uirtute honor, ita ex honore uanitas coepit obrepere. quod malum ille ubi primum potuit in se sentire grassari, diu multumque discutere conatus est, sed repelli penitus uel tacita conscientia uanitatis perseuerante uirtute non potuit.

ubique nomen eius daemones fatebantur: excludere a se confluentium populos non ualebat. uirus interim latens serpebat in pectore, et cuius nutu ex aliorum corporibus daemones fugabantur, se ipsum occultis cogitationibus uanitatis purgare non poterat.

totis igitur precibus conuersus ad Deum fertur orasse, ut permissa in se mensibus quinque diabolo potestate similis his fieret, quos ipse curauerat. quid multis morer?

ille praepotens, ille signis adque uirtutibus toto Oriente uulgatus, ille ad cuius limina populi ante confluxerant, ad cuius fores summae istius saeculi se prostrauerant potestates, correptus a daemone est retentus in uinculis:

omnia demum illa, quae energumeni solent ferre, perpessus quinto mense purgatus est non tantum daemone, sed, quod illi erat utilius adque optatius, uanitate.

Sed mihi ista replicanti nostra infelicitas, nostra occurrit infirmitas. quis enim nostrum est, quem si unus homunculus humilis salutauerit aut fatuis adque adulantibus uerbis femina una laudauerit, non continuo elatus sit superbia, non statim inflatus sit uanitate? ut, etiamsi non habeat conscientiam sanctitatis, tamen, quia uel stultorum adulatione aut fortasse errore sanctus esse dicatur, sanctissimum se putabit!

iam uero si ei munera crebra mittantur, Dei se magnificentia adseret honorari, cui dormienti adque resoluto necessaria conferantur. quodsi uel de modico ei aliqua uirtutis alicuius signa succederent, angelum se putaret.

ceterum cum neque opere neque uirtute conspicuus sit, i ei quis clericus fuerit effectus, dilatat continuo fimbrias suas, gaudet salutationibus, inflatur occursibus, ipse etiam ubique dis currit:

et qui antea pedibus aut asello ire consueuerat, spumantibus equis superbus inuehitur: parua prius ac nili cellula contentus habitare erigit celsa laquearia, construit multa conclauia, sculpit ostia, pingit armaria, uestem respuit grossiorem, indumentum molle desiderat, adque haec caris uiduis ac familiaribus mandat tributa uirginibus, illa ut byrrum rigentem, haec ut fluentem texat lacernam.

uerum haec describenda mordacius beato uiro Hieronymo relinquamus: ad propositum reuertamur. Tu uero, inquit Gallus meus, nescio quid Hieronymo reliqueris [disputandum]: ita breuiter uniuersa nostrorum instituta conplexus es, ut pauca haec tua uerba, si aequanimiter acceperint et patienter expenderint, multum eis arbitrer profutura, ut non indigeant libris posthac Hieronymi coerceri.

sed tu illa potius euolue quae coeperas, et illud, quod aduersus falsam iustitiam dicturum te esse promiseras, prode documentum: nam, ut uere tibi fatear, nullo perniciosius malo intra Gallias laboramus. ita faciam, Postumianus inquit, nec te diutius tenebo suspensum.

Adulescens quidam ex Asia praediues opibus, genere clarus, habens uxorem et filium paruulum, cum in Aegypto tribunus esset et frequentibus aduersum Blembos expeditionibus quaedam eremi contigisset, sanctorum etiam tabernacula conplura uidisset, a beato uiro Iohanne uerbum salutis accepit.

nec moratus inutilem militiam cum uano honore contemnere, eremum constanter ingressus breui tempore in omni genere uirtutum perfectus emicuit. potens ieiuniis, humilitate conspicuus, fide firmus facile se antiquis monachis studio uirtutis aequauerat, cum interim subiit eum cogitatio iniecta per diabolum, quod rectius esset ut rediret ad patriam filiumque unicum ac domum totam cum uxore saluaret : quod utique esset acceptius Deo, quam si solum se saeculo eripere contentus salutem suorum non sine inpietate neclegeret.

istiusmodi falsae iustitiae colore superatus post quadriennium fere cellulam suam adque propositum eremita deseruit. sed ubi ad proximum monasterium, quod a multis fratribus habitabatur, accessit, causam discessionis adque consilium quaerentibus confitetur. renitentibus cunctis et praecipue loci illius abbate retinente male animo fixa sententia non potuit auelli.

igitur infelici se obstinatione proripiens cum dolore omnium digressus a fratribus. uix e conspectu abscesserat, inpletur a daemone cruentasque spumas ore prouoluens suis dentibus se ipse lacerabat. deinde ad idem monasterium fratrum umeris reportatus, cum coerceri in eo inmundus spiritus non ualeret, necessitate cogente ferreis nexi- . bus alligatur, pedes cum manibus uinciuntur: non inmerita poena fugitiuo, ut quem non cohibuerat fides, catena cohiberet.

post biennium demum oratione sanctorum ab inmundo spiritu liberatus ad eremum, unde discesserat, mox regressus, et ipse correctus et aliis futurus exemplo, ne quem aut falsae iustitiae umbra decipiat aut incerta mobilitas inutili leuitate conpellat semel coepta deserere. haec uos de uirtutibus Domini, quae in seruis suis uel imitanda operatus est uel timenda, scire sufficiat.

sed quia satisfeci uestris auribus, immo etiam uerbosior fui fortasse quam debui, tu modo — ad me autem loquebatur — debitum faenus exsolue, ut te de Martino tuo, ut es solitus, plura referentem, iam pridem in hoc desideriis meis aestuantibus, audiamus.

Quid ? inquam, tibi de Martino meo liber ille non sufficit, quem ipse tu nosti me de illius uita adque uirtutibus edidisse?

Agnosco id quidem, Postumianus inquit, neque umquam a dextera mea liber iste discedit. nam si agnoscis, ecce — et aperit librum, qui ueste latebat - en ipsum. hic mihi, inquit, terra ac mari comes,. hic in peregrinatione tota socius et consolator fuit.

sed referam tibi sane, quo liber iste penetrarit, et quam nullus fere in orbe terrarum locus sit, ubi non materia tam felicis historiae peruulgata teneatur.

primus eum Romanae urbi uir studiosissimus tui Paulinus inuexit: deinde cum tota certatim urbe raperetur, exultantes librarios uidi, quod nihil ab his quaestuosius haberetur, siquidem nihil illo promptius, nihil carius uenderetur.

hic nauigationis meae cursum longe ante praegressus, cum ad Africam ueni, iam per totam Carthaginem legebatur. solus eum Cyrenensis ille presbyter non habebat, sed me largiente descripsit. nam quid ego de Alexandria loquar?

ubi paene omnibus magis quam tibi notus est. hic Aegyptum, Nitriam, The baidam ac tota Memphitica regna transiuit.

hunc ego in eremo a quodam sene legi uidi: cui cum me familiarem tuum esse dixissem, et ab illo et a multis fratribus haec mihi iniuncta legatio est, ut, si umquam terras istas te

incolumi contigissem, ea te supplere conpellerem, quae in illo tuo libro de uirtutibus beati uiri professus es praeterisse.

age ergo, quia non illa a te audire desidero, quae scripta sufficiunt, illa quae tum uel propter legentium, ut credo, fastidium praeteristi, multis id una mecum a te poscentibus explicentur.

Equidem, Postumiane, inquam, cum te iam dudum de sanctorum uirtutibus intentus audirem, tacitis ad Martinum meum cogitationibus recurrebam, merito perspiciens omnia illa, quae singuli diuersa fecissent, per unum istum facile conpleta.

nam cum excelsa retuleris, quod mihi dixisse liceat pace sanctorum, nihil a te penitus audiui, in quo Martinus esset inferior. sed sicut nullius umquam cum illius uiri meritis profiteor conferendam esse uirtutem, ita illud animaduerti decet, iniqua illum cum eremitis uel etiam anachoretis condicione conferri. illi enim ab omni inpedimento liberi, caelo tantum adque angelis testibus, plane admirabilia docentur operari:

iste in medio coetu et conuersatione populorum, inter clericos dissidentes, inter episcopos saeuientes, cum fere cotidianis scandalis hinc adque inde premeretur, inexpugnabili tamen aduersus omnia uirtute fundatus stetit et tanta operatus est, quanta ne illi quidem, quos ante audiuimus esse in eremo uel fuisse, fecerunt.

ac si illi paria fecissent, quia iudex tam esset iniustus, ut non istum esse potiorem merito iudicaret? puta enim istum fuisse militem, qui pugnauerit in iniquo loco et tamen uictor euaserit, illos autem aeque conpone militibus, sed qui ex aequo loco aut etiam de superiore certauerint. quid ergo?

etsi omnium una uictoria est, non potest omnium esse par gloria. tamen cum praeclara retuleris, a nemine retulisti mortuum suscitatum: quo uno utique necesse est confiteri Martino neminem conferendum.

nam si admirandum est, quod illum Aegyptium flamma non adtigit, hic quoque saepius imperauit incendiis. si reuoluas quod anachoretis feritas bestiarum uicta succubuit, hic familiariter et rabiem bestiarum et serpentium uenena conpescuit.

quodsi illum conferas, qui inmundis spiritibus obsessos uerbi imperio aut etiam fimbriarum uirtute curabat, ne in hac quidem parte inferiorem fuisse Martinum multa documenta sunt.

si etiam ad illum recurras, qui saetis suis pro ueste contectus putabatur ab angelis uisitari, cum isto angeli cotidie loquebantur.

iam uero aduersus uanitatem adque iactantiam ita inuictum spiritum gessit, ut illa uitia fortius nemo contempserit, cum quidem inmundis spiritibus adflatos absens . plerumque curauerit, nec solum comitibus aut praefectis, sed ipsis etiam regibus imperaret. minimum id quidem in illius uirtutibus, sed credas uelim, non solum uanitati, sed causis etiam adque occasionibus uanitatis neminem fortius repugnasse.

parua quidem, sed non praetereunda dicturus sum, quia et ille laudandus est, qui summa praeditus potestate tam religiosam ad reuerentiam beati uiri ostenderit uoluntatem.

memini Vincentium praefectum, uirum egregium et quo nullus sit intra Gallias omni uirtutum genere praestantior, dum Turonos praeteriret, a Martino saepius poposcisse, ut ei conuiuium in suo monasterio daretin quo quidem exemplum beati Ambrosi episcopi praeferebat, qui eo tempore consules et praefectos subinde pascere ferebatur —: sed uirum altioris ingenii, ne qua ex hoc uanitas adque inflatio obreperet, noluisse.

ergo fatearis necesse est m Martino omnium illorum, quos enumerasti, fuisse uirtutes, Martini autem in illis omnibus non fuisse.

Quid tu, inquit Postumianus, ita mecum? quasi non eadem tecum sentiam semperque senserim. ego uero quoadusque uiuam semper et sapiam, Aegypti monachos praedicabo, laudabo anachoretas, mirabor eremitas: Martinum semper excipiam: non illi ego audeo monachorum, certe non episcoporum quempiam conparare.

hoc Aegyptus fatetur, hoc Syria, hoc Aethiops conperit, hoc Indus audiuit, hoc Parthus et Persa nouerunt, nec ignorat Armenia, Bosporus exclusa cognouit, et postremo si quis aut Fortunatas insulas aut glacialem frequentat oceanum.

quo miserior est regio ista nostrorum, quae tantum uirum, cum in proximo habuerit, nosse non meruit. nec tamen huic crimini miscebo populares: soli illum clerici, soli nesciunt sacerdotes, nec inmerito nosse illum inuidi noluerunt, quia si uirtutes illius nossent, sua uitia cognouissent.

horreo dicere quae nuper audiui, infelicem dixisse nescio quem, te in illo libro tuo plura mentitum. non est hominis uox ista, sed diaboli, nec Martino in hac parte detrahitur, sed fides Euangeliis derogatur.

nam cum Dominus ipse testatus sit istiusmodi opera, quae Martinus inpleuit, ab omnibus fidelibus esse facienda, qui Martinum non credit ista fecisse, non credit Christum ista dixisse.

sed infelices, degeneres, somnulenti, quae ipsi facere non possunt, facta ab illo erubescunt, et malunt illius negare uirtutes quam suam inertiam confiteri.

uerum nobis ad alia properantibus omnis istorum memoria relinquatur: tu potius, ut iam dudum desidero, residua Martini opera contexe.

At ego, inquam, arbitror rectius istud a Gallo esse poscendum, quippe qui plura nouerit — neque enim ignorare potuit magistri facta discipulus — et qui non; inmerito istam uicem non solum Martino, sed etiam nobis debeat, quia ego iam librum edidi, tu hactenus Orientalium gesta memorasti: istam demum necessarii sermonis historiam Gallus euoluat, quia, ut dixi, et nobis debet loquendi uicem et Martino suo, credo, praestabit, ut non grauate illius facta commemoret.

Ego plane, inquit Gallus, licet inpar sim tanto oneri, tamen relatis superius a Postumiano oboedientiae cogor exemplis, ut munus istud, quod inponitis, non recusem.

sed dum cogito me hominem Gallum inter Aquitanos uerba facturum, uereor ne offendat uestras nimium urbanas aures sermo rusticior. audietis me tamen ut Gurdonicum hominem, nihil cum fuco aut cothurno loquentem.

nam si mihi tribuistis Martini me esse discipulum, illud etiam concedite, ut mihi liceat exemplo illius inanes sermonum faleras et uerborum ornamenta contemnere.

Tu uero, inquiit Postumianus, uel Celtice aut, si mauis, Gallice loquerei dummodo Martinum loquaris. ego autem credo, quia, etiams mutus esses, non defutura tibi uerba, quibus Martinum facundo ore loquereris, sicut Zachariae in Iohannis nomine lingua resoluta est.

ceterum cum sis scholasticus, hoc ipsum quasi scholasticus artificiose facis, ut excuses inperitiam, quia exuberas eloquentia. sed neque monachum tam astutum neque Gallum decet esse tam callidum.

uerum adgredere potius et quod te manet explica: nimium enim dudum alias res agentes consumimus tempus, et iam solis occidui umbra prolixior monet, non multum diei uicina nocte superesse.

Deinde cum paululum omnes conticuissemus, Gallus ita coepit: cauendum mihi inprimis esse arbitror, ne ea de Martini uirtutibus repetam, quae in libro suo Sulpicius iste memorauit. unde prima illius inter militandum gesta praetereo, neque ea adtingam, quae laicus egit ac monachus: nec uero audita ab aliis quam quae uidi ipse dicturus sum.

Dialog 2: (Dialogus Secundus)

Quo primo igitur tempore relictis scholis beato me uiro iunxi, paucos post dies euntem ad ecclesiam sequebamur. interim ei seminudus hibernis mensibus pauper occurrit, orans sibi uestimentum dari.

tunc ille arcessito archidiacono iussit algentem sine dilatione uestiri: dein secretarium ingressus, cum solus, ut erat consuetudo, resideret — hanc enim sibi etiam in ecclesia solitudinem permissa clericis libertate praestabat, cum quidem in alio secretario presbyteri sederent, uel salutationibus uacantes uel audiendis negotiis occupati: Martinum uero usque in eam horam, qua sollemnia populo agi consuetudo deposceret, sua solitudo cohibebat.

illud non praeteribo, quod in secretario sedens numquam cathedra usus est: nam in ecclesia nemo umquam illum sedere conspexit, sicut quendam nuper, testor Deum, non sine pudore uidi sublimi solio et quasi regio tribunali celsa sede residentem.

sedentem uero Martinum in sellula rusticana, ut sunt istae in usibus seruulorum, quas nos rustici Galli tripeccias, uos scholastici aut certe tu, qui de Graecia uenis, tripodas nuncupatis –: hoc secretum beati uiri pauper ille captatus, cum ei archidiaconus dare tunicam distulisset , inrupit, dissimulatum se , a clerico querens, algere deplorans.

nec mora, sanctus paupere non uidente intra amphibalum sibi tunicam latenter eduxit pauperemque contectum discedere iubet. dein paulo post archidiaconus ingressus admonet pro consuetudine, exspectare in ecclesia populum, illum ad agenda sollemnia debere procedere.

cui ille respondens ait, pauperem prius — de se autem dicebat — oportere uestiri: se ad ecclesiam non posse procedere, nisi uestem pauper acciperet.

diaconus uero nihil intellegens, quia extrinsecus indutum amphibalo, ueste nudum interius non uidebat, postremo pauperem non conparere causatur. mihi, inquit, uestis, quae parata est, deferatur: pauper non deerit uestiendus.

tum demum clericus necessitate conpulsus, iam felle commoto, e proximis tabernis bigerricam uestem, breuem adque hispidam, quinque conparatam argenteis rapit adque ante Martini pedes iratus exponit. en, inquit, uestem, sed pauper hic non est.

ille nihil motus iubet eum paululum stare pro foribus, secretum utique procurans, dum sibi uestem nudus inponeret, totis uiribus elaborans ut posset occultum esse quod fecerat. sed quando in sanctis uiris latent ista quaerentibus? uelint nolint cuncta produntur. cum hac igitur oblaturus sacrificium Deo ueste procedit.

quo quidem die — mira dicturus sum — cum iam altarium, sicut est sollemne, benediceret, globum ignis de capite illius uidimus emicare, ita ut in sublime contendens longum admodum crinem flamma produceret.

et licet celeberrimo factum die in magna populi multitudine uiderimus, una tantum de uirginibus et unus de presbyteris, tres tantum uidere de monachis: ceteri cur non uiderint, non potest nostri esse iudicii.

Per idem fere tempus cum Euanthius auunculus meus, uir licet saeculi negotiis occupatus admodum Christianus, grauissima aegritudine extremo mortis periculo coepisset urgueri, Martinum euocauit. nec cunctatus ille properauit: prius tamen quam medium uiae spatium uir beatus euolueret, uirtutem aduenientis sentit aegrotus, receptaque continuo sanitate uenientibus nobis obuiam ipse processit.

altera die redire cupientem magna prece tenuit, cum interim unum e familia puerum letali ictu serpens perculit: quem iam exanimem ui ueneni ipse Euanthius suis umeris inlatum ante pedes sancti uiri, nihil illi inpossibile confisus, exposuit. iamque se malum serpens per omnia membra diffuderat :

cerneres omnibus uenis inflatam cutem et ad utris instar tensa uitalia. Martinus porrecta manu, uniuersa pueri membra pertractans, digitum prope ipsum uulnusculum, quo bestia uirus infuderat, fixit.

tum uero — mira dicturus sum — uidimus uenenum ex omni parte prouocatum ad Martini digitum cucurrisse: dein per illud ulceris foramen exiguum ita uirus stipasse cum sanguine, ut solet ex uberibus caprarum aut ouium pastorum manu pressis longa linea copiosi lactis effluere.

puer surrexit incolumis. nos obstupefacti tantae rei miraculo, id quod ipsa cogebat ueritas, fatebamur non esse sub caelo, qui Martinum possit imitari.

Consequenti itidem tempore iter cum eo, dum dioeceses uisitat, agebamus. nobis nescio qua necessitate remorantibus aliquantulum ille processerat.

interim per aggerem publicum plena militantibus uiris fiscalis raeda ueniebat. sed ubi Martinum in ueste hispida nigro et pendulo pallio circumtectum contigua de latere iumenta uiderunt, paululum in partem alteram pauefacta cesserunt.

dein funibus inplicatis protentos illos, quibus, ut saepe uidistis, misera ipsa animalia conglobantur, ordines miscuerunt: dumque aegre expediuntur, moram fecere properantibus. qua permoti iniuria militantes praecipitatis in terram saltibus se dederunt.

dehinc Martinum flagris ac fustibus urguere coeperunt, cum quidem ille mutus et incredibili patientia praebens terga caedentibus maiorem insaniam infelicibus commoueret, magis ex hoc furentes, quod ille quasi non sentiens uerbera inlata contemneret.

nos ilico consecuti foede cruentum adque uniuersa corporis parte laniatum, cum exanimis in terram procubuisset, inuenimus: statimque eum asello suo inposuimus ac locum caedis illius exsecrantes raptim abire properauimus. interea illi regressi ad raedam suam furore satiato, agi quo ire coeperant, iumenta praecipiunt.

quae cum omnia solo fixa ac si aenea signa riguissent, adtollentibus altius uocem magistris, flagris hinc adque inde resonantibus, nihil penitus mouebantur. consurgunt deinde omnes pariter in uerbera: consumit Gallicas mularum poena mastigias. tota rapitur silua.

de proximo, trabibus iumenta tunduntur, sed nihil penitus saeuae manus agebant: uno adque eodem in loco stabant fixa simulacra. quid agerent infelices homines nesciebant, nec iam ultra dissimulare poterant, quin quamlibet brutis pectoribus agnoscerent, diuino numine se teneri.

tandem ergo in se regressi coeperunt quaerere, quis ille esset, quem in eodem loco ante paullulum cecidissent, cum percontantes cognoscunt ex uiantibus, Martinum a se tam crudeliter uerberatum. tum uero apparere omnibus causa manifesta, nec ignorare iam poterant, quin ob illius uiri iniuriam tenerentur.

igitur omnes rapidis nos passibus consequuntur. conscii facti ac meriti, pudore confusi, flentes et puluere, quo se ipsi foedauerant, caput adque ora conspersi, ant Martini se genua prouoluunt, ueniam precantes et ut eos abire sineret postulantes: satis se uel sola conscientia dedisse poenarum satisque intellexisse, quam eodem ipsos uiuos absorbere terra potuisset, uel ipsi potius amissis sensibus in inmobilem saxorum naturam rigescere debuissent, sicut adfixa locis quibus steterant iumenta uidissent: orare se adque obsecrare, ut indulgeret sceleris ueniam et copiam praestaret abeundi.

senserat etiam, priusquam occurrerent, uir beatus illos teneri, nobisque id ante iam dixerat: ueniam tamen clementer indulsit eosdemque abire permisit, animalibus restitutis.

Illud autem animaduerti saepe, Sulpici, Martinum tibi dicere solitum, nequaquam sibi in episcopatu eam uirtutum gratiam suppetisse, quam prius se habuisse meminisset. quod si uerum est, immo quia uerum est, conicere possumus, quanta fuerint illa, quae monachus operatus est et quae teste nullo solus exercuit, cum tanta illum in episcopatu signa fecisse sub oculis omnium uiderimus.

multa quidem illius prius gesta innotuere mundo neque potuere celari, sed innumerabilia esse dicuntur, quae dum iactantiam uitat, occuluit neque in hominum notitiam passus est peruenire, quippe qui humanam substantiam supergressus, uirtutis suae conscientia mundi gloriam calcans, caelo teste frueretur.

quod uerum esse uel ex his, quae conperta nobis sunt nec latere potuerunt, possumus aestimare, siquidem ante episcopatum duos mortuos uitae restituerit, quod liber tuus plenius est locutus, in episcopatu uero, quod praetermisisse te miror, unum tantummodo suscitarit. cuius rei ego testis sum, si tamen nihil de idoneo teste dubitatis. id ipsum autem uobis, qualiter gestum sit, explicabo.

fuerat causa nescio qua Carnotum oppidum petebamus. interea, dum uicum quendam habitantium multitudine frequentissimum praeterimus, obuiam nobis inmanis turba processit, quae erat tota gentilium: nam nemo in illo uico nouerat Christianum. uerum ad famam tanti uiri campos omnes late patentes confluentium multitudo contexerat.

sensit Martinus operandum et adnuntiante sibi spiritu totus infremuit, nec mortale sonans uerbum Dei gentilibus praedicabat, saepius ingemescens, cur tanta Dominum Saluatorem turba nesciret.

interea, sicut nos incredibilis circumdederat multitudo, mulier quaedam, cuius filius paullo ante defecerat, corpus exanime beato uiro protensis manibus coepit offerre dicens: scimus quia amicus Dei es: restitue mihi filium meum, quia unicus mihi est. iunxit se cetera multitudo et matris precibus adclamabat.

tum Martinus uidens pro expectantium salute, ut postea nobis ipse dicebat, consequi se posse uirtutem, defuncti corpus propriis manibus accepit: et cum spectantibus cunctis genua flexisset, ubi consummata oratione surrexit, uiuificatum paruolum matri reddidit.

tum uero multitudo omnis in caelum clamore sublato Christum Deum fateri, postremo cuncti cateruatim ad genua beati uiri ruere coeperunt, fideliter postulantes ut eos faceret Christianos.

nec cunctatus, in medio ut erant campo, cunctos inposita uniuersis manu catechumenos fecit, cum quidem ad nos conuersus diceret, non inrationabiliter in campo catechumenos fieri, ubi solerent martyres consecrari.

Vicisti, inquit Postumianus, Galle, uicisti, non utique me, qui Martini sum potius adsertor et qui haec omnia de illo uiro et sciui semper et credidi, sed eremitas omnes anachoretasque uicisti.

nemo enim illorum, sicut Martinus hic uester, immo noster, mortibus imperauit. meritoque hunc iste Sulpicius apostolis conparat et prophetis, quem per omnia illis esse consimilem fidei uirtus ac uirtutum opera testantur.

sed perge quaeso, quamquam nihil magnificentius audire possimus, perge tamen, Galle, quod etiam nunc de Martino superest sermonis euoluere. nam etiam minima illius et cotidiana animus festinat agnoscere, quia minima illius aliorum maximis maiora esse non dubium est.

Ita faciam, Gallus inquit: uerum id, quod dicturus sum, ipse non uidi, prius enim gestum est, quam me illi uiro iungerem: sed factum celebre est, fidelium fratrum, qui interfuerant, sermone uulgatum.

eo fere tempore, quo primum episcopus datus est, fuit ei necessitas adire comitatum. Valentinianus tum maior rerum potiebatur. hic cum Martinum ea petere cognouisset, quae praestare nolebat, iussit eum palatii foribus arceri: etenim ad animum illius inmitem ac superbum uxor accesserat Arriana, quae totum illum a sancto uiro, ne ei debitam reuerentiam praestaret, auerterat.

itaque Martinus, ubi semel adque iterum superbum principem adire temptauit, recurrit ad nota praesidia: cilicio obuoluitur, cinere conspergitur, cibo potuque abstinet, orationem noctibus diebusque perpetuat.

septimo die adsistit ei angelus: iubet eum ad palatium ire securum, regias fores quamlibet clausas sponte reserandas, imperatoris spiritum superbum molliendum.

igitur istiusmodi praesentis angeli confirmatus adloquio et fretus auxilio palatium petit. patent limina, nullus obsistit: postremo usque ad regem nemine prohibente peruenit. qui cum uenientem eminus uideret, frendens cur fuisset admissus, nequaquam adsurgere est dignatus adstanti, donec regiam sellam ignis operiret ipsumque regem ea parte corporis, qua sedebat, adflaret incendium.

ita e solio suo superbus excutitur et Martino inuitus adsurgit: multumque conplexus quem spernere ante decreuerat, uirtutem sensisse diuinam emendatior fatebatur: nec expectatis Martini precibus prius omnia praestitit quam rogaretur.

conloquio illum adque conuiuio frequenter adsciuit: postremo; abeunti multa munera obtulit, quae uir beatus, ut semper, paupertatis suae custos cuncta reiecit.

Et quia palatium semel ingressi [sumus, licet diuersis in palatio temporibus gesta conectam: nequaquam enim praetermittendum uidetur circa Martini admirationem reginae fidelis exemplum.

Maximus imperator rempublicam gubernabat, uir omni uita merito praedicandus, si ei uel diadema non legitime tumultuante milite inpositum repudiare uel armis ciuilibus abstinere licuisset: sed magnum imperium nec sine periculo renui nec sine armis potuit retineri.

hic Martinum saepius euocatum receptumque intra palatium uenerabiliter honorabat: totus illi cum eo sermo de praesentibus , de futuris, de fidelium gloria, de aeternitate sanctorum, cum interim diebus ac noctibus de ore Martini regina pendebat: euangelico illo non inferior exemplo pedes sancti fletu rigabat, crine tergebat.

Martinus, quem nulla umquam femina contigisset, istius adsiduitatem, immo potius seruitutem non poterat euadere. non illa opes regni, non imperii dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat: diuelli a Martini pedibus solo strata non poterat. postremo a uiro

suo poscit, dicens Martinum uterque conpellant, ut ei remotis omnibus ministris praeberet sola conuiuium. nec potuit uir beatus.

obstinatius reluctari. conponitur castus reginae manibus apparatus: sellulam ipsa consternit, mensam admouet, aquam manibus subministrat, cibum, quem ipsa coxerat, adponit. ipsa illo edente eminus secundum famulantium disciplinam solo fixa consistit inmobilis, per omnia ministrantis modestiam et humilitatem exhibens seruientis: miscuit ipsa bibituro et ipsa porrexit.

finita cenula fragmenta panis absumpti micasque collegit, satis fideliter illas reliquias imperialibus epulis anteponens. beata mulier, tantae pietatis adfectu illi merito conparanda, quae uenit a finibus terrae audire Salomonem, siquidem simplicem sequamur historiam.

sed fides reginarum est conferenda, quod mihi liceat separata mysterii maiestate dixisse: illa expetiit audire sapientem, ista non tantum audisse contenta meruit seruire sapienti.

Ad haec Postumianus, iam dudum, inquit, Galle, audiens te loquentem uehementer admiror reginae fidem: sed ubi illud est, quod nulla umquam femina ferebatur propius adstitisse Martino? ecce ista regina non solum adstitit, sed etiam ministrauit.

et uereor ne isto aliquantulum se tueantur exemplo qui libenter feminis inseruntur.

Tum Gallus, quid tu, inquit, non uides, quod solent docere grammatici, locum, tempus et personam? propone enim tibi ante oculos captum in palatio imperatoris precibus ambiri, reginae fide cogi, temporis necessitate constringi, ut clausos carcere liberaret, exiliis datos restitueret, bona adempta rehiberet: haec quanti putas constare episcopo debuisse, ut pro his omnibus non aliquantulum de rigore propositi relaxaret?

uerumtamen quia occasione huius exempli male usuros esse aliquos arbitraris, illi uero felices erunt, si a disciplina exempli istius non recedant. uideant enim, quia Martino semel tantum in uita iam septuagenario non uidua libera, non uirgo lasciuiens, sed sub uiro uiuens, ipso uiro pariter supplicante, regina seruiuit et ministrauit edenti, non cum epulante discubuit : nec ausa participare conuiuium, sed deferebat obsequium.

disce igitur disciplinam: seruiat tibi matrona, non imperet, et seruiat, non recumbat: sicut Martha illa ministrauit Domino, nec tamen est adscita conuiuio: immo praelata est ministranti, quae uerbum potius audiebat. sed in Martino ista regina utrumque compleuit: et ministrauit ut Martha, et audiuit ut Maria.

quodsi quis hoc uti uoluerit exemplo, per omnia teneat: talis causa sit talisque persona, tale obsequium, tale conuiuium, et in omni uita semel tantum.

Praeclare, inquit Postumianus, nostros istos, ut Martini non egrediantur exemplum , tua constringit oratio, sed profiteor tibi quia haec surdis auribus audientur.

nam si Martini sequeremur uias, numquam causas de osculo diceremus et uniuersis . scaenae opinionis opprobriis careremus. ceterum, sicut tu soles dicere, cum edacitatis argueris,

Galli sumus: ita nos in hac parte numquam nec Martini exemplo uel tuis disputationibus corrigemur.

uerumtamen haec nobis iam dudum agentibus, quid tu tam obstinate, Sulpici, taces? Ego uero, inquam, non solum modo taceo, sed olim de istis tacere disposui. nam quia quandam uiduam uagam, nitidulam, sumptuosam obiurgauerim lasciuius uictitantem, itidemque uirginem adulescenti cuidam mihi caro indecentius adhaerentem, cum quidem ipsam frequenter audissem alios etiam, qui talia agerent, increpantem, tanta mihi omnium feminarum cunctorumque monachorum odia conciui, ut aduersum me utraeque legiones iurata bella susceperint.

unde quaeso taceatis, ne etiam quod uos loquimini ad meam referatur inuidiam. tota nobis istorum memoria relinquatur: ad Martinum potius reuertamur.

tu Galle, ut adgressus es, coeptum opus explica. Tum ille, iam quidem uobis, inquit, tanta narraui, ut satisfacere studiis uestris meus sermo debuerit: sed quia uoluntati uestrae non obsecundare mihi non licet, quantum adhuc diei superest loquar.

nam certe dum stramen illud, quod in lectos nostros paratur, aspicio, subuenit in memoriam etiam de stramine, m quo Martinus iacuerat, factam esse uirtutem.

res ita gesta est. Claudiomagus uicus est in confinio Biturigum adque Turonorum. ecclesia ibi est celebris religione sanctorum nec minus gloriosa sacrarum uirginum multitudine. praeteriens ergo Martinus in secretario ecclesiae habuit mansionem.

post discessum illius cunctae in secretarium illud uirgines inruerunt: adlambunt singula loca, ubi aut sederat uir beatus aut steterat, stramentum etiam, in quo iacuerat, partiuntur.

una earum post dies paucos partem straminis, quam sibi pro benedictione collegerat, energumeno, quem spiritus erroris agitabat, de ceruice suspendit. nec mora, dicto citius eiecto daemone persona curata est.

Per idem fere tempus Martino a Treueris reuertenti fit obuiam uacca, quam daemon agitabat: quae relicto grege suo in homines ferebatur et iam multos noxie petulca confoderat. uerum ubi nobis coepit esse contigua, ii qui eam eminus sequebantur, praedicere magna uoce coeperunt ut caueremus.

sed postquam ad nos toruis furibunda luminibus propius accessit, Martinus eleuata [obuiam] manu pecudem consistere iubet:

quae mox ad uerbum illius stare coepit inmobilis, cum interea uidit Martinus dorso illius daemonem supersedentem: quem increpans, discede, inquit, funeste, de pecude et innoxium animal agitare desiste. paruit nequam spiritus et recessit.

nec defuit sensus in bucula, quin se intellegeret liberatam: ante pedes sancti recepta quiete prosternitur, dein iubente Martino gregem suum petiit seque agmini ceterarum oue placidior inmiscuit.

hoc illud fuit tempus, quo inter medias flammas positus non sensit incendium , quod mihi non arbitror esse referendum, quia hoc plenius iste Sulpicius, licet in libro suo praeteritum, in epistula tamen postea, quam ad Eusebium, tunc presbyterum, modo episcopum fecit, exposuit: quam tu, Postumiane, aut credo legisti, aut si incognita tibi est, cum libuerit, in promptu ex illo armario habes: nos ab illo omissa referemus.

Quodam tempore, cum dioeceses circuiret, uenantium agmen incurrimus. canes leporem sequebantur: iamque multo spatio uicta bestiola, cum undique campis late patentibus nullum esset effugium, mortem inminentem iam iamque capienda crebris flexibus differebat. cuius periculum uir beatus pia mente miseratus imperat canibus, desisterent sequi et sinerent abire fugientem. continuo ad primum sermonis imperium constiterunt: crederes uinctos, immo potius adfixos in suis haerere uestigiis. ita lepusculus persecutoribus alligatis incolumis euasit.

Operae pretium autem est, etiam familiaria illius uerba, spiritualiter salsa, memorare.

quem recens tonsam forte conspexerat. euangelicum, inquit, mandatum ista conpleuit: duas habuit tunicas, unam earum largita est non habenti: ita ergo et uos facere debetis.

item cum subulcum algentem ac paene nudum in pellicia ueste uidisset, en, inquit, Adam [eiectus de paradiso] in ueste pellicea sues pascit: sed nos illo uetere deposito, qui adhuc in isto manet, nouum Adam potius induamus.

boues ex parte prata depauerant, porci etiam nonnulla suffoderant: pars cetera, quae manebat inlaesa, diuersis floribus quasi picta uernabat. speciem, inquit, gerit pars illa coniugii, quae a pecore depasta etsi non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem: illa uero, quam porci pecora inmunda foderunt, fornicationis imaginem foedam protendit: ceterum illa portio, quae nullam sensit iniuriam, gloriam uirginitatis ostendit: herbis fecunda luxuriat, foeni in ea fructus exuberat et ultra omnem speciem distincta floribus quasi gemmis micantibus ornata radiat. beata species et Deo digna: nihil enim uirginitati est conparandum.

ita et illi, qui coniugia fornication comparant, uehementer errant, et illi qui coniugia uirginitati aequanda aestimant, miseri penitus et stulti sunt.

uerum haec a sapientibus tenenda distinctio est, ut coniugium pertineat ad ueniam, uirginitas spectet ad gloriam, fornicatio deputetur ad poenam, nisi satisfactione purgetur.

Miles quidam cingulum in ecclesia, monachum professus, abiecerat: cellulam sibi eminus in remoto quasi eremita uicturus erexerat. interea astutus inimicus uariis cogitationibus brutum pectus agitabat, ut coniugem suam, quam Martinus in monasterio puellarum esse praeceperat, uoluntate mutata secum potius uellet habitare.

adit ergo Martinum fortis eremita et quid haberet animi confitetur. ille uero uehementer abnuere, feminam uiro rursus, iam monacho, non marito, incongrua ratione misceri. postremo cum miles insisteret, adfirmans nihil hoc proposito esse nociturum : se solo

coniugis uti uelle solacio, porro ne rursus se in sua reuoluerent, non esse metuendum: se esse militem Christi, illam quoque in eadem militiae sacramenta iurasse: pateretur episcopus sanctos et sexum suum fidei merito nescientes pariter militare.

tum Martinus — uerba uobis ipsa dicturus \'sum — dic mihi, inquit, si umquam in bello fuisti, si in acie constitisti ? at ille respondens, frequenter, inquit, in acie steti et in bello frequenter interfui.

ad haec Martinus: dic mihi ergo: numquid in illa acie, quae armata in proelium parabatur aut iam aduersus hostilem exercitum conlato comminus pede destricto ense pugnabat, ullam feminam stare aut pugnare uidisti?

tum demum miles confusus erubuit, gratias agens errori suo se non fuisse permissum, nec aspera increpatione uerborum, sed uera et rationabili secundum personam militis conparatione correctum.

Martinus autem conuersus ad nos, sicut eum frequens fratrum turba uallauerat, mulier, inquit, uirorum castra non adeat, acies militum separata consistat: procul femina in suo degens tabernaculo sit remota. contemptibilem enim reddit exercitum, si uirorum cohortibus turba feminea misceatur.

miles in acie, miles pugnet in campo: mulier se intra murorum munimenta contineat. habet et illa gloriam suam, si pudicitiam uiro absente seruauerit : cuius haec prima uirtus et consummata uictoria est, non uideri.

Illud uero, Sulpici, meminisse te credo, quo affectu nobis, cum et tu coram adesses, illam uirginem praedicarit, quae ita se penitus ab omnium uirorum oculis remouisset, ut ne ipsum quidem ad se Martinum, cum eam ille officii causa uisitare uellet, admiserit.

nam cum praeter agellum illius praeteriret, in quo se ante conplures annos pudica cohibuerat, audita fide illius adque uirtute deuertit, ut tam inlustris meriti puellam religioso officio episcopus honoraret.

nos consequentes gauisuram illam uirginem putabamus, siquidem hoc in testimonium uirtutis suae esset habitura, ad quam tanti nominis sacerdos deposito propositi rigore uenisset.

uerum illa fortissimi uincula propositi ne Martini quidem contemplatione laxauit. ita uir beatus accepta per aliam feminam excusatione laudabili ab illius foribus, quae se uidendam salutandamque non dederat, laetus abscessit.

o uirginem gloriosam, quae ne a Martino quidem passa est se uideri! o Martinum beatum, qui illam repulsam non ad contumeliam suam duxit, sed magnificans illius cum exultatione uirtutem inusitato in his\' dumtaxat regionibus gaudebat exemplo!

ergo cum haut longe ab illa uillula nos manere nox inminens coegisset, xenium beato uiro eadem illa uirgo transmisit : fecitque Martinus, quod ante non fecerat — nullius enim ille umquam xenium, nullius munus accepit —: nihil ex his, quae uirgo uenerabilis miserat,

refutauit, dicens benedictionem illius a sacerdote minime respuendam, quae esset multis sacerdotibus praeferenda.

audiant, quaeso, uirgines istud exemplum, ut fores suas, si eas malis obsistere uolunt, etiam bonis claudant, et, ne ad se inprobis sit liber accessus, non uereantur excludere etiam sacerdotes.

totus hoc mundus exaudiat\': uideri se a Martino uirgo non passa est. non utique illa quemcumque a se reppulit sacerdotem, sed in eius uiri conspectum puella non uenit, quem uidere salus uidentium fuit.

quis autem hoc praeter Martinum sacerdos non ad suam iniuriam rettulisset? quos aduersum sanctam uirginem motus quantasque iras mente concepisset ? haereticam iudicasset et anathemandam esse decreuisset.

quam uero illi beatae animae illas uirgines praetulisset, quae crebris occursibus ubique se praebent obuias sacerdoti, quae conuiuia sumptuosa disponunt, quae una pariter discumbunt!

sed quo me ducit oratio? paululum iste liberior sermo reprimendus est, ne in aliquorum forsitan incurrat offensam: etenim infidelibus obiurgationis uerba non proderunt, fidelibus autem satisfaciet exemplum. uerum ego ita uirtutem huius uirginis praedicabo, ut tamen nihil illis, quae ad Martinum uidendum ei longinquis regionibus saepe uenerunt, arbitrer derogandum, siquidem hoc beatum uirum frequenter affectu etiam angeli frequentarint.

Ceterum hoc, quod dicturus sum, Sulpici, hoc te—me autem intuebatur — teste perhibeo. Quodam die ego et iste Sulpicius pro foribus illius excubantes iam per aliquot horas cum silentio sedebamus, ingenti horrore et tremore, ac si ante angeli tabernaculum mandatas excubias duceremus, cum quidem nos, clauso cellulae suae ostio, ibi esse nesciret.

interim conloquentium murmur audimus et mox horrore quodam circumfundimur ac stupore, nec ignorare potuimus nescio quid fuisse diuinum.

post duas fere horas ad nos Martinus egreditur: ac tum eum iste Sulpicius, sicut apud eum nemo familiarius loquebatur, coepit orare, ut pie quaerentibus indicaret, quid illud diuini fuisset horroris, quod fatebamur nos ambo sensisse, uel cum quibus fuisset in cellula conlocutus : tenuem enim nos scilicet et uix intellectum sermocinantium sonum pro foribus audisse.

tum ille diu multumque cunctatus - sed nihil erat quod ei Sulpicius non extorqueret inuito: incredibiliora forte dicturus sum, sed Christo teste non mentior, nisi quisquam est tam sacrilegus, ut Martinam aestimet fuisse mentitum –:

dicam, inquit, uobis, sed uos nulli quaeso dicatis: Agnes, Thecla et Maria mecum fuerunt. referebat autem nobis uultum adque habitum singularum.

nec uero illo tantum die, sed frequenter se ab eis confessus est uisitari: Petrum etiam et Paulum Apostolos uideri a se saepius non negauit. iam uero daemones, prout ad eum quisque uenisset, suis nominibus increpabat. Mercurium maxime patiebatur infestum, Iouem brutum adque hebetem esse dicebat.

haec plerisque etiam in eodem monasterio constitutis incredibilia uidebantur, nedum ego confidam omnes, qui haec audient, credituros. nam nisi inaestimabilem uitam adque uirtutem Martinus egisset, nequaquam apud nos tanta gloria praeditus haberetur. quamquam minime mirum, si in operibus Martini infirmitas humana dubitauit, cum multos s hodieque uideamus nec Euangeliis credidisse. a Martino autem saepe angelos uisos familiariter et sensimus et experti sumus.

rem minimam dicturus eum, sed tamen dicam. apud Nemausum episcoporum synodus habebatur, ad quam quidem ire noluerat, sed quid gestum esset scire cupiebat. casu cum eo iste Sulpicius. nauigabat, sed procul, ut semper, a ceteris in remota nauis parte residebat. ibi angelus, quid gestum esset in synodo, ei nuntiauit. nos postea tempus habiti concilii sollicite requirentes satis conpertum habuimus, ipsum diem fuisse conuentus et eadem ibi fuisse decreta, quae Martino angelus nuntiarat.

Ceterum cum ab eo de fine saeculi quaereremus, ait nobis, Neronem et Antichristum prius esse uenturos: Neronem in occidentali plaga subactis decem regibus imperaturum, persecutionem ab eo eatenus exercendam, ut idola gentium coli cogat.

ab Antichristo uero primum Orientis imperium esse capiendum, qui quidem sedem et caput regni Hierosolymam esset habiturus: ab illo et urbem et templum esse reparandum.

illius eam persecutionem futuram, ut Christum Deum cogat negari, se potius Christum esse confirmans, omnesque secundum legem circumcidj iubeat: ipsum denique Neronem ab Antichristo esse perimendum, adque ita sub illius potestate uniuersum orbem cunctasque gentes esse redigendas, donec Christi aduentu impius opprimatur.

non esse autem dubium, quin Antichristus malo spiritu conceptus iam natus esset et iam in annis puerilibus constitutus, aetate legitima sumpturus imperium. quod autem haec ab illo audiuimus, annus octauus est: nos aestimate, quam iam in praecipiti consistant, quae futura metuuntur.

Haec cum maxime Gallus, necdum explicitis quae statuerat referre, loqueretur, puer familiaris ingressus est, nuntians, Refrigerium presbyterum stare pro foribus.

dubitare coepimus, utrum Gallum adhuc esset melius audire, an exoptatissimo nobis uiro, qui officii causa ad nos ueniebat, occurrere.

tum Gallus: etiamsi non ob aduentum sanctissimi sacerdotis relinquenda nobis haec esset oratio, nox ipsa cogebat hucusque prolatum finire sermonem.

uerum quia de Martini uirtutibus nequaquam explicari uniuersa potuerunt, haec uos hodie audisse sufficiat, cras reliqua dicemus. ita pariter accepta hac Galli sponsione surreximus.

Dialog 3: Dialogvs Tertivs

Lucescit hoc, Galle: surgendum est. nam, ut uides, et Postumianus instat et hic presbyter, qui hesterno auditorium amisit, exspectat, ut quae de Martino nostro in hodiernum diem explicanda distuleras, debitor sponsionis euoluas.

non ignarus quidem iste omnium, quaecumque memoranda sunt, sed dulcis et grata cognitio est etiam nota relegenti, siquidem natura ita conparatum sit, ut meliore quis conscientia se nosse congaudeat, quae multorum testimoniis non esse incerta cognoscat.

nam [et] hic a prima adulescentia Martinum secutus nouit quidem omnia, sed libenter cognita recognoscit. fatebor enim tibi, Galle, Martini mihi saepius auditas esse uirtutes, quippe qui de eo etiam litteris multa mandauerim: sed per gestorum admirationem semper mihi noua sunt, quae de illo licet audita saepius reuoluuntur. proinde additum nobis Refrigerium auditorem eo inpensius gratulamur, quo promptius Postumianus iste, qui haec Orienti inferre festinat, quasi sub testibus consignatam abs te accepturus est ueritatem. haec me loquente, Gallo iam ad narrandum parato, inruit turba monachorum, Euagrius presbyter, Aper, Sabbatius, Agricola:

et post paululum ingreditur presbyter Aetherius cum Calupione diacono et Amatore subdiacono: postremus Aurelius presbyter, dulcissimus meus, longiore uia ueniens anhelus occurrit.

Quid, inquam, tam subito et insperati tam ex diuersis regionibus tam mane concurritis? Nos, inquiunt, hesterno cognouimus, Gallum istum per totum diem Martini narrasse uirtutes, et reliqua in hodiernum diem, quia nox oppresserat, distulisse: propterea maturauimus frequens auditorium facere de tanta materia locuturo.

interea nuntiatur multos saecularium stare pro foribus, nec ingredi audentes, sed ut admitterentur rogantes. tum Aper, nequaquam, inquit, istos nobis admisceri conuenit, quia ad audiendum curiositate potius quam religione uenerunt.

confusus ego illorum uice, quos non admittendos esse censebat, aegre tandem obtinui, ut Eucherium ex uicariis et Celsum admitterent consularem, ceteri sunt repulsi. tum Gallum media in sede conponimus:

qui cum diu nobili sua uerecundia silentium tenuisset, tandem ita exorsus est.

Conuenistis, inquit, ad me audiendum, uiri sancti et diserti, sed religiosas potius quam doctas aures, ut arbitror, adtulistis, audituri me fidei testem, non oratoris copia locuturum. quae autem hesterno dicta sunt, non reuoluam: illa qui non audierunt, ex scripturis cognoscent.

noua Postumianus expectat nuntiaturus Orienti, ne se in conparatione Martini praeferat Occidenti. ac primum gestit animus, quod Refrigerius in aurem suggerit, explicare: res in Camutena gesta est ciuitate.

Paterfamilias quidam duodecennem filiam ab utero mutam Martino coepit offerre, poscens ut linguam ligatam meritis suis sanctis uir beatus solueret.

ille cedens episcopis, qui tam forte latus illius ambiebant, Valentino adque Victricio, inparem se esse tantae moli, sed illis quasi sanctioribus nihil inpossibile fatebatur.

at illi pias preces una cum patre supplici uoce iungentes orare Martinum ut sperata praestaret. nec cunctatus ultra utrumque praeclarum, et ostendendo humilitatem nec differendo pietatem - iubet circumstantis populi multitudinem submoueri: episcopis tantum et puellae patre adsistentibus in orationem suo illo more prosternitur.

dein pusillum olei cum exorcismi praefatione benedicit, adque ita in os puellae sanctificatum liquorem, cum et linguam illius digitis teneret, infudit.

nec fefellit sanctum uirtutis euentus. patris nomen interrogat: mox illa respondit. proclamat pater cum gaudio pariter et lacrimis Martini genua conplexus, et hanc primam se filiae audisse uocem cunctis stupentibus fatebatur.

ac ne cuiquam id incredibile forte uideatur, perhibeat uobis praesens Euagrius testimonium ueritatis: nam res ipso praesente tum gesta est.

Paruum illud est, quod nuper Arpagio presbytero referente cognoui, sed non praetermittendum uidetur. Auitiani comitis uxo-

rem misisse Martino oleum, quod ad diuersas morborum causas necessarium, sicut est consuetudo, benediceret: ampullam uitream istiusmodi fuisse, ut rotunda in uentrem cresceret ore producto, sed oris extantis concauum non repletum, quia ita moris sit uascula conplere, ut pars summa umbonibus obstruendis libera relinquatur.

testabatur presbyter uidisse se oleum sub Martini benedictione creuisse, quoad exundante copia superne diffl ueret: eademque, dum ad matremfamilias uasculum referretur, ferbuisse uirtute:

nam inter manus pueri portantis ita semper exundasse oleum, ut omne illius uestimentum copia superfusi liquoris operiret: matronam ita usque ad summum labrum plenum uasculum recepisse, ut presbyter hodieque fateatur, obdendi pessuli, quo claudi diligentius seruanda consuerunt, in uitro illo spatium non fuisse.

mirum et illud, quod huic — me autem intuebatur - memini contigisse. uas uitreum cum oleo, quod Martinus benedixerat, in fenestra paululum editiore deposuit: puer familiaris incautior linteum superpositum, ampullam ibi esse ignorans, adtraxit. uas super constratum marmore pauimentum decidit. cunctis metu exterritis benedictionem Dei perisse, ampulla perinde incolumis est reperta, ac si super plumas mollissimas decidisset.

quae res non potius ad casum quam ad Martini est referenda uirtutem, cuius benedictio perire non potuit.

Quid illud, quod factum a quodam est, cuius nomen, quia praesens est et prodi se uetuit, supprimetur: cui quidem tempori hic etiam Saturninus interfuit.

canis nobis inportunior oblatrabat. in nomine, inquit, Martini iubeo te obmutescere. canis — haesit latratus in gutture:

linguam abscisam putares - obmutuit. ita parum est ipsum Martinum fecisse uirtutes: credite mihi, quia etiam alii in nomine eius multa fecerunt.

Auitiani quondam comitis noueratis barbaram nimis et ultra omnia cruentam feritatem. hic rabido spiritu ingressus Turonum ciuitatem, sequentibus eum miserabili facie ordinibus catenatis, diuersa perdendis parari iubet genera poenarum, disponit postero die adtonita ciuitate ad opus triste procedere.

quod ubi Martino conpertum est, solus paulo ante mediam noctem ad praetorium bestiae illius tendit sed cum profundae noctis silentio quiescentibus cunctis nullus foribus obseratis pateret ingressus, ante limina cruenta prosternitur. interea Auitianus graui somno sepultus angelo ingruente percellitur: seruus, inquit, Dei ad tua limina iacet et tu quiescis?

qua ille uoce percepta lecto suo turbatus excutitur, conuocatisque semis trepidus exclamat, Martinam esse pro foribus: irent protinus, claustra reserarent, ne Dei seruus pateretur iniuriam.

sed illi, ut est omnium natura seruorum, uix prima limina egressi , inridentes dominum suum quod somnio fuisset inlusus, negant quemquam esse-pro foribus, ex suomet ingenio coniectantes neminem nocte posse uigilare, nedum illi crederent, in illo noctis horrore iacere ante aliena limina sacerdotem: idque Auitiano facile persuasum est. rursum soluitur in soporem: sed mox ui maiore concussus exclamat Martinum stare pro foribus: sibi ideo nullam quietem animi corporisque permitti.

tardantibus seruis ipse usque ad limina exteriora progreditur: ibi Martinum ut senserat deprehendit. perculsus

miser tantae uirtutis manifestatione, quid, inquit, mihi hoc, domine, fecisti ? nihil te loqui necesse est: scio quid desideres, uideo quid requiras : discede quantocius, ne me ob iniuriam tuam caelestis ira consumat: satis soluerim hucusque poenarum. crede quia non leuiter apud me actum est, ut ipse procederem.

post discessum autem sancti aduocat officiales suos, iubet omnes custodias relaxari et mox ipse proficiscitur. ita fugato Auitiano laetata est ciuitas et liberata.

Haec cum multis Auitiano referente conperta sint, tum nuper Refrigerius presbyter, quem coram uidetis, a Dagrido, fideli uiro ex tribunis, sub inuocatione diuinae maiestatis audiuit, qui sibi hoc ab ipso Auitiano relatum esse iurabat.

ceterum nolo miremini me hodie facere, quod hesterno non feci, ut ad singulas quasque uirtutes nomina testium personasque subnectam, ad quas si quis fuerit incredulus, quia adhuc in corpore sunt, recurrat.

exegit id infidelitas plurimorum, qui in aliquibus, quae hesterno memorata sunt, nutare dicuntur. accipiant ergo testes adhuc incolumes adque uiuentes, quibus, quia de fide nostra dubitant, magis credant. sed si adeo infideles sunt, profiteor quia nec illis sunt credituri.

miror autem quemquam, qui uel tenuem sensum religionis habeat, tantum piaculi uelle committere, ut putet quemquam de Martino posse mentiri.

facessat a quoquam, qui sub Deo uiuit, ista suspicio: neque enim Martinus hoc indiget, ut mendaciis adseratur. sed totius sermonis fidem, Christe, apud te deponimus, nos nec alia dixisse nec alia dicturos, quam quae aut ipsi uidimus aut quae manifestis auctoribus uel plerumque ipso referente cognouimus.

ceterum etsi dialogi speciem, quo ad leuandum fastidium lectio uariaretur, adsumpsimus, nos pie praestruere profitemur historiae ueritatem. haec me extrinsecus inserere nonnullorum incredulitas non sine meo dolore conpulit. sed redeat ad nostrum sermo consessum:

in quo cum me tam studiose audiri uideam, fatear necesse est Aprum fecisse constanter, qui reppulit infideles, eos tantum iudicans audire debere qui crederent.

efferor, si quid creditis, spiritu et prae dolore totus insanio: non credunt Martini uirtutibus Christiani, quas daemones fatebantur?

Monasterium beati uiri duobus a ciuitate erat milibus disparatum: sed si quotiens uenturus ad ecclesiam pedem extra cellulae suae limen extulerat, uideres per totam ecclesiam energumenos rugientes, et quasi adueniente iudice agmina damnanda trepidare, ut aduentum episcopi clericis, qui uenturum esse nescirent, daemoniorum gemitus indicaret. uidi quendam adpropiante Martino in aera raptum manibus extensis in sublime suspendi, ut nequaquam solum pedibus adtingeret.

si quando autem exorcizandorum daemonum Martinus operam recepisset, neminem manibus adtrectabat, neminem sermonibus increpabat, sicut plerumque per clericos rotatur turba uerborum, sed admotis energumenis ceteros iubebat abscedere, ac foribus obseratis in medio ecclesiae cilicio circumtectus, cinere respersus, solo stratus orabat.

tum uero cerneres miseros diuerso exitu perurgueri: hos sublatis in sublime pedibus quasi de nube pendere, nec tamen uestes defluere in faciem, ne faceret uerecundiam nudata pars

corporum: at in parte alia uideres sine interrogatione uexatos et sua crimina confitentes. nomina etiam nullo interrogante prodebant: ille se Iouem, iste Mercurium fatebantur.

postremo cunctos diaboli ministros cum ipso cerneres auctore cruciari, ut iam in Martino illud fateamur inpletum quod scriptum est: quoniam sancti de angelis iudicabunt.

Pagum quendam in Senonico annis singulis grando uexabat. conpulsi extremis malis incolae a Martino auxilium poposcerunt: missa per Auspicium praefectorium uirum satis fida legatio, cuius agros specialiter grauior quam ceterorum adsuerat procella populari.

sed facta ibi oratione Martinus ita uniuersam penitus liberauit ab ingruenti peste regionem, ut per\' uiginti annos, quibus postea mansit in corpore, grandinem in illis locis nemo pertulerit.

quod ne fortuitum esse et non potius Martino praestitum putaretur, eo anno, quo ille defecit, rursum incubuit rediuiua tempestas: adeo sensit et mundus uiri fidelis excessum, ut cuius uita iure gaudebat, eiusdem mortem lugeret.

ceterum si ad haec probanda quae diximus testes etiam infirmior auditor exegerit, non unum ego hominem, sed milia multa producam, et totam m testimonium uirtutis expertae Senonum aduocabo regionem.

et tamen tu, Refrigeri presbyter, credo, meministi, nuper nobis super hoc cum Romulo Auspicii illius filio , honorato et religioso. uiro, fuisse sermonem: qui haec nobis tamquam inconperta referebat, et cum futuris prouentibus per adsidua damna trepidaret, ut ipse uidisti, magno secum maerore lugebat, Martinum non in haec tempora reseruatum.

Sed ut ad Auitianum recurram - qui cum in omnibus locis cunctisque in urbibus ederet crudelitatis suae infanda monumenta, Turonis tantum innocens erat: et illa bestia, quae humano sanguine et infelicium mortibus alebatur, mitem se adque tranquillum beato uiro praesente praestabat —:

memini quodam die ad eum uenisse Martinum : qui ubi secretarium eius ingressus est, uidit post tergum ipsius daemonem mirae magnitudinis adsidentem. quem eminus, ut uerbo, quia ita necesse est, parum Latino loquamur, exsufflans, Auitianus se exsufflari existimans, quid me, inquit, sancte, sic accipis? tum Martinus, non te, inquit, sed eum, qui ceruici tuae taeter incumbit.

cessit diabolus et reliquit familiare subsellium: satisque constat post ilium diem Auitianum mitiorem fuisse, seu quod intellexerit egisse se semper adsidentis sibi diaboli uoluntatem, seu quod inmundus spiritus ab illius consessu per Martinum fugatus priuatus est potestate grassandi, cum erubesceret minister auctore nec ministrum auctor urgueret.

In uico Ambatiensi, id est castello ueteri, quod nunc frequens habitatur a fratribus, idolium noueratis grande opere constructum. politissimis saxis moles turrita surrexerat, quae in conum sublime procedens superstitionem loci operis dignitate seruabat.

huius destructionem Marcello, ibidem consistenti presbytero, uir beatus saepe mandauerat. post aliquantum tempus regressus increpat presbyterum, cur adhuc idolii structura consisteret.

ille causatus uix militari manu et ui publicae multitudinis tantam molem posse subuerti, nedum id facile putaret per inbecillos clericos aut infirmos monachos quiuisse curari.

tum Martinus recurrens ad nota subsidia nocte tota in oratione peruigilat: mane orta tempestas aedem idoli usque ad fundamentum prouoluit. uerum haec Marcello teste dicta sint.

Aliam eius non dissimilem in simili opere uirtutem Refrigerio adstipulante perhibebo. columnam immensae molis, cui idolum superstabat, parabat euertere, sed nulla erat facultas, qua id daretur effectui: tum ad orationem suo more conuertitur.

uisam certum est parilem quodammodo columnam ruere de caelo, quae inpacta idolo totam illam inexpugnabilem molem soluit in puluerem: parum scilicet, si inuisibiliter caeli uirtutibus uteretur, nisi ipsae uirtutes uisibiliter seruire Martino humanis oculis cernerentur.

Idem autem Refrigerius mihi testis est, mulierem profluuio sanguinis laborantem, cum Martini uestem exemplo mulieris illius euangelicae contigisset, sub momento temporis fuisse sanatam.

Serpens flumen secans in ripam, in qua constiteramus, adnabat: innomine, inquit, Domini iubeo te redire. mox se mala bestia ad uerbum sancti retorsit et in ulteriorem ripam nobis inspectantibus transmeauit. quod cum omnes non sine miraculo cerneremus, altius ingemescens ait: serpentes me audiunt, et homines non audiunt.

Piscem Paschae diebus edere consuetus paulo ante horam refectionis interrogat, an haberetur in promptu.

tum Cato diaconus, ad quem monasterii administratio pertinebat, doctus ipse piscari, negat per totum diem sibi ullam cessisse capturam, sed neque alios piscatores, qui uendere solebant, quicquam agere quiuisse. uade, inquit, mitte linum tuum, captura proueniet.

contiguum flumini, ut Sulpicius iste descripsit, habebamus habitaculum. processimus cuncti, utpote feriatis diebus, uidere piscantem, omnium spebus intentis, non incassa futura temptamina, quibus piscis Martino auctore Martini usibus quaereretur.

ad primum iactum in rete permodico immanem esocem diaconus extraxit et ad monasterium laetus accurrens, nimirum ut dixit poeta nescio quis - utimur enim uersu scholastico, quia inter scholasticos fabulamur - captiuumque suem mirantibus intulit Argis.

uere Christi iste discipulus, gestarum a Saluatore uirtutum, quas in exemplum sanctis suis edidit, aemulator, Christum in se monstrabat operantem, qui sanctum suum usquequaque glorificans diuersarum munera gratiarum in unum hominem conferebat.

testatur Arborius ex praefecto, uidisse se Martini manum sacrificium offerentis uestitam quodammodo nobilissimis gemmis, luce micare purpurea, et ad motum dexterae conlisarum inter se fragorem audisse gemmarum.

Veniam ad illud, quod propter temporum notam semper occuluit, sed nos celare non potuit: in quo illud est miraculi, quod facie ad faciem cum eo est angelus conlocutus.

Maximus imperator, alias sane bonus, deprauatus consiliis sacerdotum post Priscilliani necem Ithacium episoopum Priscilliani accusatorem ceterosque illius socios, quos nominari non est necesse, ui regia tuebatur, ne quis ei crimini daret, opera illius cuiuscumque modi hominem fuisse damnatum.

interea Martinus multis grauibusque laborantium causis ad comitatum ire conpulsus procellam ipsam totius tempestatis incurrit. congregati apud Treueros episcopi tenebantur, qui cotidie communicantes Ithacio communem sibi causam fecerant. his ubi nuntiatum est inopinantibus adesse Martinum, totis animis labefactati mussitare et trepidare coeperunt.

et iam pridie imperator ex eorum sententia decreuerat, tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere, qui haereticos inquirerent, deprehensis uitam et bona adimerent.

nec dubium erat, quin sanctorum etiam magnam turbam tempestas ista depopulatura esset, paruo discrimine inter hominum genera: etenim tum solis oculis iudicabatur, ut quis pallore potius aut ueste quam fide haereticus aestimaretur.

haec nequaquam placitura Martino episcopi sentiebant, sed male consciis illa uel molestissima erat cura, ne se ab eorum communione adueniens abstineret, non defuturis qui tanti uiri constantiam praemissa auctoritate sequerentur.

ineunt cum imperatore consilium, ut missis obuiam magistri officialibus urbem illam propius uetaretur accedere, nisi se cum pace episcoporum ibi consistentium adfore fateretur. quos ille callide frustratus profitetur, se cum pace Christi esse uenturum.

postremo ingressus nocturno tempore adiit ecclesiam tantum orationis gratia. postridie palatium petit. praeter multas, quas euoluere longum est, has principales petitiones habebat: pro Narsete comite et Leucadio praeside; quorum ambo Gratiani partium fuerant, pertinacioribus studiis, quae non est temporis explicare, iram uictoris emeriti:

illa praecipua, ne tribuni cum iure gladiorum ad Hispanias mitterentur. pia enim erat sollicitudo Martino, ut non solum Christianos, qui sub illa erant occasione uexandi, sed ipsos etiam haereticos liberaret.

uerum primo die adque altero suspendit hominem callidus imperator, siue ut rei pondus inponeret, siue quia obnoxius episcopis inplacabilis erat, seu quia, ut plerique tum arbitrabantur, auaritia repugnabat, siquidem in bona eorum inhiauerat.

fertur enim ille uir multis bonisque actibus praeditus aduersus auaritiam parum consuluisse, nisi regni necessitate, quippe exhausto a superioribus principibus reipublicae

aerario, paene semper in expectatione adque procinctu bellorum ciuilium constitutus facile excusabitur quibuslibet occasionibus subsidia imperio parauisse.

Interea episcopi, quorum communionem Martinus non inibat, trepidi ad regem concurrunt, praedamnatos se conquerentes, actum esse de suo omnium statu, si Theogniti pertinaciam, qui eos solus palam lata sententia condemnauerat, Martini armaret auctoritas: non oportuisse hominem recipi moenibus : illum iam non defensorem haereticorum esse, sed uindicem: nihil actum morte Priscilliani, si Martinus exerceat illius ultionem.

postremo prostrati cum fletu et lamentatione potestatem regiam inplorant ut utatur aduersus unum hominem ui sua. nec multum aberat, quin cogeretur imperator Martinum cum haereticorum sorte miscere. sed ille, licet episcopis nimio fauore esset obnoxius, non erat nescius Martinum fide, sanctitate, uirtute cunctis praestare mortalibus: alia uia sanctum uincere parat.

ac primo secreto arcessitum blande appellat: haereticos iure damnatos more iudiciorum publicorum potius quam insectationibus sacerdotum: non esse causam, qua Ithacii ceterorumque partis eius communionem putaret esse damnandam. Theognitum odio potius quam causa ecisse discidium, eundemque tamen solum esse, qui se a communione interim separarit: a reliquis nihil nouatum. quin etiam ante paucos dies habita synodus Ithacium pronuntiauerat culpa non teneri.

quibus cum Martinus parum moueretur, rex ira accenditur ac se de conspectu eius abripuit. mox percussores his, pro quibus Martinus rogauerat, diriguntur.

Quod ubi Martino compertum est, iam noctis tempore palatium inrupit. spondet, si parceretur, se communicaturum, modo uti et tribuni iam ad excidium ecclesiarum ad Hispanias missi retraherentur. nec mora, Maximus indulget omnia.

postridie Felicis episcopi ordinatio parabatur, sanctissimi sane uiri et uere digni, qui meliore tempore sacerdos fieret. huius diei communionem Martinus iniit, satius aestimans ad horam cedere quam his non consulere, quorum ceruicibus gladius imminebat.

uerumtamen summe episcopis nitentibus, ut communionem illam subscriptione firmaret, extorqueri non potuit. postero die se inde proripiens cum reuerteretur in uiam et maestus ingemesceret, se uel ad horam noxiae communioni fuisse permixtum, haut longe a uico, cui nomen est Andethanna, qua uasta solitudine siluarum secreta t patiuntur, praegressis paululum comitibus ille subsedit, causam doloris et facti accusante ac defendente inuicem cogitatione peruoluens.

adstitit ei repente angelus: merito, inquit, Martine conpungeris, sed aliter exire nequisti. repara uirtutem, resume constantiam, ne iam non periculum gloriae, sed salutis incurras.

itaque ab illo tempore satis cauit cum illa Ithacianae partis communione misceri. ceterum cum quosdam ex energumenis tardius quam solebat et gratia minore curaret, subinde nobis

cum lacrimis fatebatur, se propter communionis illius malum, cui se uel puncto temporis necessitate, non spiritu miscuisset, detrimentum sentire uirtutis.

sedecim postea uixit annos: nullam synodum adiit, ab omnibus episcoporum conuentibus se remouit.

Sed plane, ut experti sumus, inminutam ad tempus gratiam multiplicata mercede reparauit. uidi postea ad pseudoforum mo- nasterii ipsius adductum. energumenum, et prius quam limen adtingeret, fuisse curatum.

Testantem quendam nuper audiui, cum in Tyrreno mari cursu illo, quo Romam tenditur, nauigaret, subito turbinibus exortis extremum uitae omnium fuisse discrimen.

in quo cum quidam Aegyptius negotiator necdum Christianus magna uoce clamauerit (Deus Martini eripe nos\', mox tempestatem fuisse sedatam, seque optatum cursum cum summa placati aequoris quiete tenuisse.

Lycontius ex uicariis uir fidelis, cum familiam illius lues extrema uexaret et inauditae calamitatis exemplo per totam domum corpora aegra procumberent, Martini per łitteras inplorauit auxilium.

quo tempore uir beatus t rem esse promisit difficilem inpetrari: nam spiritu sentiebat, domum illam diuino numine uerberari: tamen non prius destitit septem totos dies totidemque noctes orando et ieiunando continuans, quam id quod exorandum receperat inpetraret.

mox ad eum Lycontius diuina expertus beneficia peruolauit, nuntians simul et agens gratias, domum suam omni periculo liberatam. centum etiam argenti libras obtulit,

quas uir beatus nec respuit nec recepit, sed priusquam pondus illud monasterii limen adtingeret, redimendis id captiuis continuo deputauit. et cum ei suggereretur a fratribus, ut aliquid ea eo in sumptum monasterii reseruaret, omnibus in angusto esse uictum, multis deesse uestitum: nos, inquit, ecclesia et pascat et uestiat, dum nihil nostris usibus quaesisse uideamur.

Succurrunt hoc loco illius uiri magna miracula, quae facilius admirari possumus quam referre. agnoscitis profecto quod dico: multa sunt illius, quae non queant explicari. uelut istud est, quod nescio an ita, ut gestum est, a nobis possit exponi.

quidam e fratribus - nomen non ignoratis, sed celanda persona est, ne sancto uiro uerecundiam fecerimus - quidam ergo cum ad fornaculam illius carbonum copiam repperisset, et admota sibi sellula diuaricatis pedibus super ignem illum nudato inguine resideret,

continuo Martinus factam sacro tegmini sensit iniuriam, magna uoce proclamans, quis, inquit, nudato inguine nostrum incestat habitaculum? hoc ubi frater audiuit et ea conscientia quod increpabatur agnouit, continuo ad nos cucurrit exanimis, pudorem suum non sine Martini uirtute confessus.

Quodam itidem die, dum in area, quae parua admodum tabemaculum illius ambiebat, in illo suo, quod nostis omnes, sedili ligneo resedisset, uidit duos daemones in excelsa illa, quae monasterio supereminet, rupe consistere , inde alacres ac laetos uocem istiusmodi adhortationis emittere.: heia te Brictio, heia te Brictio. credo cernebant miserum eminus propinquantem, conscii quantam illi rabiem spiritus suscitassent.

nec mora, Brictio furibundus inrupit: ibi plenus insaniae euomit in Martinum mille conuicia. obiurga.tus enim pridie ab eo fuerat, cur, qui nihil umquam ante clericatum quippe qui in monasterio ab ipso Martino nutritus habuisset, equos aleret, mancipia conpararet. nam illo tempore arguebatur a multis non solum pueros barbaros, sed etiam puellas scitis uultibus coemisse.

quibus rebus infelicissimus insano felle commotus et, ut credo, praecipue daemonum illorum agitatus instinctu, Martinum ita adgressus est, ut uix manibus temperaret, cum quidem sanctus uultu placido, mente tranquilla infelicis amentiam per mitia uerba cohiberet.

sed ita in eo nequam spiritus redundabat, ut ne sua quidem illi, quamuis uana admodum, mens subesset : trementibus labiis incertoque uultu decolor prae furore rotabat uerba peccati, 88 asserens sanctiorem, quippe qui a primis annis in monasterio inter sacras ecclesiae disciplinas ipso Martino educante creuisset : Martinum uero et s principio, quod ipse diffiteri non posset, militiae actibus sorduisse, et nunc per inanes superstitiones et fantasmata uisionum ridicula prorsus inter deliramenta senuisse.

haec cum multa adque alia etiam, quae reticere melius est, acerbiora uomuisset, egressus tandem furore satiato, quasi qui se penitus uindicasset, rapidis ea parte qua uenerat gressibus recurrebat, cum interea, credo per Martini orationes fugatis ab illius corde daemonibus, reductus m paenitentiam. mox reuertitur adque ad Martini se genua prosternit : ueniam poscit, fatetur errorem nec sine daemone se fuisse tandem sanior confitetur.

non erat apud Martinum labor iste difficilis, ut ignosceret supplicanti. tunc et ipsi et nobis omnibus sanctus exposuit, qualiter illum a daemonibus uidisset agitari: se conuiciis non moueri, quae magis illi, a quo essent effusa , nocuissent. exinde

cum idem Brictio multis apud eum magnisque criminibus persaepe premeretur, cogi non potuit ut eum a presbyterio submoueret, ne suam persequi uideretur iniuriam, illud saepe commemorans: si Christus ludam passus est, cur ego non patiar Brictionem ?

Ad haec Postumianus, audiat, inquit, istud exemplum noster iste de proximo. qui cum sit sapiens, immemor praesentium, immemor futurorum: si fuerit offensus, insanit in sua se non habens potestate: saeuit in clericos, grassatur in laicos, totumque terrarum orbem in suam commouet ultionem: in qua per triennium iugiter dimicatione consistens nec tempore nec ratione sedatur.

dolenda hominis et miseranda condicio, etiamsi hac sola insanabilis mali peste premeretur. uerum ista ei patientiae et tranquillitatis exempla referre saepius, Galle, debueras, ut nesciret irasci et sciret ignoscere.

qui si istum ipsum breuiter insertum sermonem meum in se prolatum forte cognouerit, sciat non magis ore inimici quam amici animo me locutum, quia, si fieri posset, optarem ut Martino potius episcopo quam Phalari tyranno similis diceretur.

sed istum, cuius commemoratio parum suauis est, transeamus et ad Martinum nostrum, Galle, redeamus.

Tum ego, cum iam adesse uesperum occiduo sole sentirem, dies, inquam, abiit, Postumiane: surgendum est: simul tam studiosis auditoribus cena debetur. de Martino autem exspectare non debes, ut ulla. sit meta referenti: latius ille diffunditur, quam ut ullo ualeat sermone concludi.

ista interim de illo uiro portabis Orienti, et dum recurris diuersasque oras , loca, portus, insulas urbesque praeterlegis, Martini nomen et gloriam sparge per populos: in primis memento non praeterire Campaniam:

etsi maxime cursus in deuio sit, non tamen tibi tanti sint uel magnarum morarum ulla dispendia , quin illic adeas inlustrem uirum ac toto laudatum orbe, Paulinum: illi, quaeso te, primum sermonis nostri, quod uel hesterno confecimus uel hodie diximus, uolumen euolue:

illi omnia referes, illi cuncta recitabis, ut mox per illum sacras uiri laudes Roma cognoscat, sicut primum illum nostrum libellum non per Italiam tantum, sed per totum etiam diffudit Illyricum.

ille Martini non inuidus gloriarum sanctarumque in Christo uirtutum piissimus aestimator non abnuet praesulem nostrum cum suo Felice conponere. inde si forte ad Africam transfretabis, referes audita Carthagini: licet iam, prout ipse dixisti, uirum nouerit, tamen nunc praecipue de eo plura cognoscat, ne solum ibi Cyprianum martyrem suum, quamuis sancto illius sanguine consecrata, miretur.

iam si ad laeuam Achaiae sinum paululum deuexus intraueris. sciat Corinthus. sciant Athenae, non sapientiorem in academia Platonem nec Socraten in carcere fortiorem: felicem quidem Graeciam, quae meruit audire Apostolum praedicantem, sed nequaquam a Christo Gallias derelictas, quibus donauerit habere Martinum.

cum uero ad Aegyptum usque perueneris, quamquam illa suorum sanctorum numero sit et uirtutibus superba, tamen non dedignetur audire. quam illi uel uniuersae Asiae in solo Martino Europa non cesserit.

Ceterum cum Hierosolyma inde petiturus uentis rursum uela commiseris, negotium tibi nostri doloris iniungo. ut si umquam inlustris illius Ptolemaidis litus accesseris, sollicitus inquiras, ubi sit consepultus noster ille Pomponius, nec fastidias uisitare ossa peregrina.

multas illic lacrimas tam ex affectu tuo quam ex nostris funde uisceribus, ac licet inani munere solum ipsum flore purpureo et suaue redolentibus sparge graminibus. dices tamen illi. sed non aspere, non acerbe, conpatientis alloquio, non exprobrantis elogio:

quod si uel te quondam uel me semper audire uoluisset, et Martinum magis quam illum, quem nominare nolo, fuisset imitatus , numquam a me tam crudeliter disparatus ignoti pulueris syrte tegeretur, naufragi sorte praedonis passus in medio mari mortem et uix in extremo nanctus litore sepulturam.

uideant hoc opus suum, quicumque in ultione illius mihi nocere uoluerunt, uideant gloriam suam et uel nunc aduersum me grassari desinant uindicati.

Haec cum maxime flebili uoce gemeremus, omnium lacrimis per nostra lamenta commotis, cum magna quidem Martini admiratione, sed non minore ex nostris fletibus dolore discessum est.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Sulpicii Severi libri qui supersunt*** edited by Karl Halm (Vienna, Gerold: 1866) Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum 1), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.